S34

DE RE METRICA

VETERUM HEBRAEORUM

DISPUTATIO

IN UNIVERSITATE VINDOBONENSI PRAEMIO LACKENBACHERIANO ORNATA.

AUCTORE

P. NIVARDO SCHLOEGL, O. CIST.


S. THEOLOGIAE DOCTORE, HISTORIAE ANTIQUI TESTAMENTI ET LINGUARUM ORIENTALIUM IN COLLEGIO AD ST. CRUCEM PROFESSORE, NOVITIORUM MAGISTRO, SOCIETATIS GERMANICO-ORIENTALIS LIPSIAE MEMBRO.

Πάντα μέτρῳ καὶ ἀριθμῷ καὶ σταθμῷ διέταξας.

Σοφ. Σαλ. ιά, κά.

PJ4774
.S34

VINDOBONAE.
MAYER ET SOCIIS EDITORIBUS.
MDCCCIC.


LIBRARY OF PRINCETON
2.21.1900
THEOLOGICAL SEMINARY
PJ4774
.S34

DE RE METRICA
VETERUM HEBRAEORUM

DISPUTATIO

IN UNIVERSITATE VINDOBONENSI PRAEMIO LACKENBACHERIANO ORNATA.

AUCTORE

P. NIVARDO SCHLOEGL, O. CIST.

S. THEOLOGIAE DOCTORE, HISTORIAE ANTIQUI TESTAMENTI ET LINGUARUM ORIENTALIUM IN COLLEGIO AD ST. CRUCEM PROFESSORE, NOVITIORUM MAGISTRO, SOCIETATIS GERMANICO-ORIENTALIS LIPSIAE MEMBRO.

Πάντα μέτρῳ καὶ ἀριθμῷ καὶ σταθμῷ διέταξας.

Σοφ. Σαλ. ια΄, κα΄.

VINDOBONAE.

MAYER ET SOCIIS EDITORIBUS.

MDCCCIC.

OMNIA IURA VINDICABUNTUR.

TYPIS ADOLPHI HOLZHAUSEN
C. AC R. AULAE ET UNIVERSITATIS TYPOGRAPHI.

REVERENDISSIMO PERILLUSTRI AMPLISSIMO

DOMINO DOMINO

HENRICO GRÜNBECK

MONASTERIORUM B. M. V. AD ST. CRUCEM ET AD SS. TRINITATEM ABBATI

S. C. ET R. APOST. MAIESTATIS ATQUE ARCHIEP. CONSIST. VIENN. CONSILIARIO, COLLEGII THEOL. AD S. CRUCEM DIRECTORI,
C. R. ORD. FRANC. IOS. COMMEND. CUM STELLA ETC. ETC.

LIBELLUM HUNC DEDICAT

GRATISSIMUS AUCTOR.

PROOEMIUM.

In C. R. Universitate litterarum Vindobonensi ad studia linguarum orientalium promovenda fratrum Bernardi et Henrici Lackenbacher legato institutum est, ut singulis annis praemium centum aureorum ei ponatur, qui aliquot versus Hebraicos e singulis Pentateuchi libris in linguam Arabicam inter certaminis participes optime verterit. Cum tamen rarus reperiretur, qui praemium illud peteret, ex usuris sors facta est, ut quotannis alterum exponi posset ei, qui quaestiones biblicas a legitimis procuratoribus legati proponendas optime absolveret. Primum huius generis quaestiones anno MDCCCXCVII propositae sunt, quorum thema erat: «Exponendi sunt loci, quibus antiqui scriptores de rhythmis in libris poeticis Antiqui Foederis obviis loquuntur et systematice exponendi sunt varii conatus eruditorum, qui a saeculo XVII. usque ad nostros dies (1897) in statuendis strophis, metris, rhythmis carminum Antiqui Testamenti laboraverunt.» Inter scripta, quae censoribus indicanda tradita sunt, praemio ornata est disputatio haec, quae nunc typis descripta s. Scripturae V. T. lectoribus saltem aliquid utilitatis afferat ad pulcherrima et sanctissima carmina intellegenda. Quod faxit Deus!

U. I. O. G. D.

P. Nivardus Schloegl.

In monasterio B. Mariae V. ad St. Crucem Austriae inferioris
ante diem XI. calendas Martias MDCCCIC.

ARGUMENTUM HUIUS LIBELLI.

PARS PRIMA.

PARS SECUNDA.

PARS PRIMA.

QUID SCRIPTORES ANTIQUI DE RHYTHMO CARMINUM HEBRAICORUM LOQUANTUR.

§. 1. Scriptores antiqui tam ecclesiastici quam profani nusquam quidem de poesi sacra ex professo agunt, variis tamen locis obiter de ea loquuntur. Imprimis libros poeticos (sicut et prosaicos) nec non propheticos propter argumentum summis laudibus extollunt, quare iterum iterumque lectores suos ad studium eorum excitant. Formam externam plerumque simpliciter laudant lectorem monentes, ut argumentum magis respiciat quam formam. Ita e. gr. S. Hieronymus in ep. I. ad Paulinum directa:[1]) «Totum, inquit, quod legimus in divinis libris nitet quidem et fulget etiam in cortice, sed dulcius in medulla est. Qui edere vult nucleum, frangat nucem.» Similiter S. Augustinus in prologo commentariis in librum Psalmorum praemisso[2]) dicit, Spiritum St. in libris poeticis universis animarum vulneribus subvenire et hoc fieri modulatione quadam et delectabili canore, humanum animum ad pudicitiam provocante. «Quoniam, inquit, Spiritus St. videns obluctantem ac resistentem ad virtutis viam humani generis animum et ad delectationes vitae huius magis inclinari quam ad virtutis rectum iter erigi, *delectabilibus modulis cantilenae* vim suae doctrinae permiscuit: ut dum suavitate carminis mulcetur auditus, divini sermonis pariter utilitas inseratur secundum sapientes medicos, qui, si quando usus poposcerit, austeriora medicamenta aegris offerunt mortalibus, ne aeger utilitatem prae austeritate refugiat, et ora ac summitates poculi, quo remedium porrigunt, melle circumliniunt. Propterea ergo *Psalmorum nobis per modulos apta sunt carmina*, ut vel aetate puerili vel qui adolescentes sunt moribus, quasi cantilena quadam psallentes delectari videantur.»[3]) Interdum scriptores ecclesiastici etiam hanc vel illam poesis sacrae praedicant proprietatem, imo et de *metrica* quadam poematum forma non semel loquuntur. Quum autem de antiquorum eloquiis sententiae eruditorum novissimi temporis in diversissimas abeant partes, primum scriptores antiquos ipsos audiamus, dein de eorum eloquiis disputemus.

CAPUT PRIMUM.

SCRIPTORES IUDAEI.

§. 2. 1. E scriptoribus Iudaeis, qui de poesi sacra obiter saltem agunt, Flavius Iosephus (natus a. 37 p. Chr. n., mortuus post a. 100) eminet, qui secundo Antiquitatum Iudaicarum

[1]) Opp. omn. (ed. Martianay, Parisiis 1706) IV², coll. 567; Migne, P. Lat. XXII, col. 585, n. 9.

[2]) Opp. omn., opera theologorum Lovanensium edit. (Parisiis 1649) VIII, p. 4; Migne, P. L., XXXVI, col. 63.

[3]) Similia Abarbanel de secunda specie canticorum agens dicit. V. Buxtorf, lib. Cosri, p. 408 et seq.

libro, cap. 16, n. 4[1]) mirabilem illum per mare rubrum transitum celebrans et populum electum tota illa nocte summo cum gaudio Deo hymnos cantasse enarrans: Καὶ Μωυσῆς, inquit, ᾠδὴν εἰς τὸν θεὸν ἐγκώμιόν τε καὶ τῆς εὐμενείας εὐχαριστίαν περιέχουσαν *ἐν ἑξαμέτρῳ τόνῳ* συντίθησιν. Libro autem Ant. Iud. IV, c. 8, n. 44[2]) idem auctor referens, Mosen ante mortem leges scriptas populo tradidisse, ita pergit: Ἔπειτα *ποίησιν ἑξάμετρον* αὐτοῖς ἀνέγνω, ἣν καὶ καταλέλοιπεν ἐν βίβλῳ ἐν τῷ ἱερῷ πρόῤῥησιν περιέχουσαν τῶν ἐσομένων. Similiter l. VII, c. 12, n. 3 de Davide loquitur:[3]) Ἀπηλλαγμένος δ' ἤδη πολέμων ὁ Δαυίδης καὶ κινδύνων καὶ βαθείας ἀπολαύων τὸ λοιπὸν εἰρήνης *ᾠδὰς* εἰς τὸν θεὸν *καὶ ὕμνους* συνετάξατο *μέτρου ποικίλου· τοὺς μὲν γὰρ τριμέτρους τοὺς δὲ πενταμέτρους ἐποίησεν.*

§. 3. 2. Secundus rerum Iudaicarum scriptor, Philo Alexandrinus (natus a. 20 ante Chr. n., mortuus c. a. 40 post Chr. n.) libro I de vita Mosis, cap. 5[4]) enarrat, Mosen ab Aegyptiis «numeros et geometriam universamque musicam, *rhythmicam, harmonicam, metricam* etc. (*ἀριθμοὺς* μὲν οὖν καὶ γεωμετρίαν *τήν τε ῥυθμικὴν καὶ ἁρμονικὴν θεωρίαν* καὶ μουσικὴν τὴν σύμπασαν κτλ.) didicisse.

(Pseudo-?) Philo in tractatu de vita contemplativa, n. 3,[5]) de Therapeutis haec refert: Οὐ θεωροῦσι μόνον ἀλλὰ καὶ *ποιοῦσιν ᾄσματα καὶ ὕμνους εἰς θεὸν διὰ παντοίων μέτρων καὶ μελῶν, ἃ ῥυθμοῖς σεμνοτέροις ἀναγκαίως χαράττουσιν;* item n. 10 de enarrationibus sacrarum literarum a senioribus coram iunioribus habitis referens ait: «Ubi vero praeses visus est, rem bene tractando (se) satisfecisse auditorum desiderio, plausus propalam editur ab omnibus.» Καὶ ἔπειτα ὁ ἀναστὰς *ὕμνον ᾄδει* πεποιημένον εἰς τὸν θεὸν ἢ καινὸν αὐτὸς πεποιηκὼς ἢ *ἀρχαῖόν τινα τῶν πάλαι προφητῶν. Μέτρα γὰρ καὶ μέλη καταλελοίπασι ποιηταὶ ἐπῶν τριμέτρων προσοδίων, ὕμνων, παρασπονδείων, παραβωμίων, στασίμων χορικῶν στροφαῖς πολυστρόφοις εὖ διαμεμετρημένων.* Et paulo inferius: Ἀνίστανται πάντες ἀθρόοι καὶ κατὰ μέσον τὸ συμπόσιον *δύο γίνονται* τὸ *πρῶτον χοροί*, ὁ μὲν ἀνδρῶν ὁ δὲ γυναικῶν· *ἡγεμὼν δὲ καὶ ἔξαρχος αἱρεῖται καθ' ἕτερον* ἐντιμότατός τε καὶ ἐμμελέστατος. *Εἶτα ᾄδουσι πεποιημένους* εἰς τὸν θεὸν *ὕμνους πολλοῖς μέτροις καὶ μέλεσι, τῇ μὲν συνηχοῦντες τῇ δὲ καὶ ἀντιφώνοις ἁρμονίαις ἐπιχειρονομοῦντες καὶ ἐπορχούμενοι καὶ ἐπιθεάζοντες* τοτὲ μὲν τὰ προσόδια τοτὲ δὲ τὰ στάσιμα στροφάς τε τὰς εὐχρείᾳ καὶ ἀντιστρόφους ποιούμενοι· εἶτα ὅταν ἑκάτερος τῶν ἀνδρῶν ἰδίᾳ καὶ καθ' ἑαυτὸν ἑστιαθῇ, καθάπερ ἐν ταῖς βακχείαις ἀκράτου σπάσαντες τοῦ θεοφιλοῦς *ἀναμίγνυνται καὶ γίνονται χορὸς ἐξ ἀμφοῖν, μίμημα τοῦ πάλαι συστάντος κατὰ τὴν ἐρυθρὰν θάλατταν*, ἕνεκα τῶν θαυματουργηθέντων ἐκεῖ. Τὸ γὰρ πέλαγος προστάξει θεοῦ τοῖς μὲν σωτηρίας αἴτιον τοῖς δὲ πανωλεθρίας γίνεται. Quibus locis non sunt contraria, quae Philo in tractatu «Quod deterius potiori insidiari soleat», n. 33[6]) dicit: Ἐν δὲ τῇ θεοῦ ποιητικῇ μύθου μὲν πλάσμα οὐδὲν εὑρήσεις τοὺς δὲ ἀληθείας ἀσινεῖς κανόνας ἅπαντας ἐστηλιτευμένους· οὐδ' αὐτὰ φωνῆς μέτρα καὶ ῥυθμοὺς καὶ μέλη ἀκοὰς διὰ μουσικῆς ψυχαγωγοῦντα· τὰ δὲ φύσεως αὐτῆς τελειότατα ἔργα, τὴν ἴδιον εὐαρμοστίαν κεκληρωμένα. Nam, ut bene advertit Kuenen (Hist.-krit. Einleitung in die Bücher des A. T. III, 1, p. 14), Philo hic non de arte poetica, sed *metaphorice de creatione* loquitur, asserens, Dei opera non esse fictitia, sed verissima. Id iam e contextu elucet, quare Sigismundus Gelenius, cuius versionem latinam supra attulimus, vertens verba graeca: Εἴ τις οὖν ἱκανός ἐστιν ἀκοῦσαι τῆς θεοῦ ποιητικῆς explicans addit «i. e. *faciendi rationem,* qua Deus utitur».

---

[1]) Flavii Iosephi opera ed. Ben. Niese (Berolini 1887), I, p. 155, n. 346.
[2]) L. c. p. 285, n. 303. [3]) L. c. p. 156, n. 305.
[4]) Opp. omn. (ed. Adr. Turnebus et David Hoeschelius, Francofurti 1691), p. 606.
[5]) L. c. p. 893 sqq. [6]) L. c. p. 178.

CAPUT SECUNDUM.

SCRIPTORES CHRISTIANI.

§. 4. 1. Primus idemque clarissimus scriptorum Christianorum, Origenes († 254), qui propter indefessum ss. literarum studium Adamantini cognomen meruit, et quem S. Hieronymus de metris carminum sacrorum loquens testem nominat, psalmum 118, 1 exponens haec advertit: Οὔ πώ (al. οὕτω) γε στίχος ἐστίν· οἱ γὰρ παρ' Ἑβραίοις στίχοι, ὡς ἔλεγέ τις, *ἔμμετροί* εἰσιν· ἐν *ἑξαμέτρῳ* μὲν· *ἡ ἐν τῷ Δευτερονομίῳ ᾠδὴ* (Deut. 32; Preuschen intelligit Deut. 31?)· *ἐν τριμέτρῳ δὲ καὶ τετραμέτρῳ· οἱ ψαλμοί.* Οἱ στίχοι οὖν οἱ παρ' Ἑβραίοις ἕτεροί εἰσι παρὰ τοὺς παρ' ἡμῶν. Ἐὰν θέλωμεν ἐνθάδε τηρῆσαι, τοὺς στίχους ποιῶμεν (al. ποιοῦμεν)· *Μακάριοι οἱ ἄμωμοι ἐν ὁδῷ, οἱ πορευόμενοι ἐν νόμῳ Κυρίου.* Καὶ οὕτως ἀρχώμεθα (al. ἀρχόμεθα) δευτέρου τοῦ ἑξῆς. Ἰστέον τοίνυν, ὅτι οἱ Ἕλληνες οἱ ἑρμηνεύσαντες πεποιήκασι τὸν παρ' Ἑβραίοις στίχον ἐν τούτοις δύο, οἱ δὲ κρεῖττον ποιοῦντες [ὡς (ὁ) τοῦτο ἀντίγραφον γράψας, οἱονεὶ πεποίηκε τὴν ἀρχὴν τοῦ στίχου μετ' ἐκτάσεως (al. ἐκθέσεως)· τὸν δὲ δοκοῦντα (al. -τες) δεύτερον μὴ ὄντα δεύτερον, ἀλλὰ λῆμμα (al. λεῖμμα) τοῦ προτέρου μετὰ (μετ') αἰσθήσεως· καὶ τοῦτο πεποίηκεν ἐπὶ ὅλου τοῦ ῥητοῦ· i. e. secundum versionem Card. Pitra (Analecta sacra II, p. 341 et III, p. 252 sq.): «Sic se versus habet. Quos enim habent stichos Hebraei, ut quidam dixit, metrici sunt, et quidem in hexametro canticum Deuteronomii; *psalmi vero senarii sunt aut ortonarii.* Στίχοι igitur, qui existunt apud Hebraeos, alii sunt quam apud nos. Si volumus eos servare, hos versus facimus: Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini. Et eodem modo incipimus secundum: Beati etc. Sciendum interea, quod Graeci, qui fuerunt interpretes, στίχον Hebraeorum in duos diviserunt (fere sicut fecit ille, qui hoc exemplar transcripsit, acsi στίχον exorsus esset a clausula propositionis), ita ut pro secundo illum habuerint, qui secundus non erat, sed residuum primi cum eodem sensu. Et sic factum est pro quacumque sententia.»

Quid Origenes de סלה senserit, vide infra, §. 15 sq.

§. 5. 2. Eusebius ep. Caesareensis († c. 340), similiter de s. Scripturae studio bene meritus de praeparatione evangelica, libro XI, cap. 5[1]) de Hebraeorum eloquentia locutus haec de eorum carminibus dicit: Εἶεν δ' ἂν αὐτοῖς *καὶ ἔμμετροι ποιήσεις, ὡς ἡ μεγάλη Μωσέως ᾠδὴ καὶ τοῦ Δαβὶδ ὁ ριὴ ψαλμὸς τῷ καλουμένῳ παρ' Ἕλλησιν ἡρῴῳ μέτρῳ συντεταγμένοι·* φασὶ γοῦν *ἑξάμετρα εἶναι ταῦτα, δι' ἑκκαίδεκα συλλαβῶν πεποιημένα· καὶ τὰ λοιπὰ δὲ τὰ παρ' αὐτοῖς δι' ἐπῶν λέγεται τριμέτρων τε καὶ τετραμέτρων κατὰ τὴν οἰκεῖαν αὐτῶν συγκεῖσθαι φωνήν.*» De voce סלה vide infra, §. 15 sq.

§. 6. 3. Inter patres Latinos eminet S. Hieronymus († 420), «quem Deus Ecclesiae suae in exponendis ss. Scripturis doctorem maximum providere dignatus est» (Breviar.). Hic doctor Ecclesiae in *praefatione ad Eusebii Chronicon*[2]) hoc modo de poesi sacra loquitur: «Quid *psalterio* canorius, quod in morem nostri Flacci et Graeci Pindari *nunc Iambo* currit, *nunc Alcaico* personat, *nunc Sapphico* tumet, *nunc semipede* ingreditur? Quid *Deuteronomii et Isaiae cantico* pulchrius? quid *Salomone* gravius? quid perfectius *Iob*, *quae omnia hexametris et pentametris versibus* (ut *Iosephus* et *Origenes* scribunt) apud nos composita occurrunt.» Similia in praefatione in librum *Iob*:[3]) «A principio, inquit,

---

[1]) ed. Fr. Vigerus, Coloniae 1688, p. 514; Migne, P. Gr. XXI, col. 852 sq.

[2]) Opp. omn. (ed. Martianay) IV², col. 805 sq.; Migne, P. Lat. XXVII, col. 36.

[3]) Ed. Maur., l. c., col. 795 sqq.; Migne, P. L. XXVII, col. 1081 sq.

voluminis usque ad verba Iob apud Hebraeos prosa oratio est; porro a verbis Iob, in quibus ait: ‚Pereat dies, in qua natus sum, et nox, in qua dictum est: Conceptus est homo‘ usque ad eum locum, ubi ante finem voluminis scriptum est: ‚Idcirco ipse me reprehendo et ago poenitentiam in favilla et cinere‘ *hexametri versus sunt dactylo spondeoque currentes* et ***propter linguae idioma crebro accipientes et alios pedes non earundem syllabarum, sed eorundem temporum.*** *Interdum quoque rhythmus ipse dulcis et tinnulus fertur numeris pedum solutis; quod metrici magis quam simplex lector intelligunt* .... Quodsi cui videtur incredulum, metra scilicet esse apud Hebraeos et in morem nostri Flacci Graecique Pindari et Alcaei et Sapphus vel psalterium vel lamentationes Hieremiae vel omnia ferme Scripturarum cantica comprehendi, *legat Philonem, Iosephum, Origenem, Caesariensem Eusebium* et eorum testimoniis me verum dicere comprobabit.» In ep. *ad Paulam* Romanam[1]) de alphabeto Hebraico psalmi CXVIII (Hebr. CXIX) Hieronymus haec scribit: «Ac priusquam de singulis disseram, scire debes, quatuor psalmos secundum ordinem Hebraeorum incipere elementorum, *centesimum decimum et centesimum undecimum* et *hunc,* de quo nunc scribimus et *centesimum quadragesimum quartum.* Verum debes scire *in prioribus* psalmis singulis literis singulos versiculos, qui *trimetro iambico* constant, esse subnexos. *Inferiores vero tetrametro iambico constare sicuti et Deuteronomii canticum* scriptum est. In centesimo decimo octavo psalmo singulas literas octoni versus sequuntur. In centesimo quadragesimo quarto singulis literis singuli versus deputantur. Sunt qui et alios hoc ordine putent incipere, sed falsa eorum opinio est. Habes et *in lamentationibus Ieremiae quatuor alphabeta,* e quibus *duo prima* **quasi** *Sapphico metro* scripta sunt: quia tres versiculos, qui sibi connexi sunt et ab una tantum litera incipiunt, Heroici comma concludit. *Tertium vero alphabetum trimetro* scriptum est et a ternis literis, sed eisdem terni versus incipiunt. *Quartum alphabetum simile est primo et secundo. Proverbia quoque Salomonis extremum claudit alphabetum,* quod *tetrametro iambico* supputatur, ab eo loco, in quo ait: ‚Mulierem fortem quis inveniet?‘» In ep. ad Paulinum[2]) scripta Davidem cum Simonide, Pindaro, Alcaeo, Flacco, Catullo, Sereno comparat et in praefatione in Ieremiam se *quatuor lamentationum alphabeta mensurae metri versibusque reddidisse.* De סלה vide infra, §. 15 sq.

§. 7. 4. S. Augustinus († 430) de musica III, 1[3]) dialogo demonstrat, quid intersit inter metrum et rhythmum, et rhythmum, metrum, versum ita distingui dicit, «ut *omne metrum etiam rhythmus sit, non omnis rhythmus etiam versus; item omnis versus et metrum sit, non omne metrum etiam versus.*» In fine ep. ad Memorium (Mumerium) scriptae[4]) de poesi sacra ita loquitur: «*Quibus numeris consistant versus Davidici, non scripsi, quia nescio.* Neque enim ex Hebraea lingua, quam ignoro, potuit etiam numeros interpres exprimere, ne metri necessitate ab interpretandi veritate amplius, quam ratio sententiarum sinebat, digredi cogeretur: *certis tamen eos constare numeris credo illis, qui eam linguam probe callent.*»

§. 8. 5. Cosmas Indicopleustes (c. 550) vero de cantu sacro nobis haec refert:[5]) «Μετὰ τὸν Μωυσέα καὶ τὸν τούτου διάδοχον Ἰησοῦν τοῦ Ναυῆ καὶ τοὺς λεγομένους κριτὰς ἐν τῷ Ἰσραὴλ

---

[1]) Ed. Maur. II[1], l. c., col. 709; Migne, P. L. XXII, col. 442 sq.

[2]) Ed. Maur. IV[2], col. 573; Migne, P. L. XXII, col. 547.

[3]) Opp. omn. (ed. theol. Lovan.) I, p. 146; Migne, P. L. XXXII, col. 1116.

[4]) Migne, XXXIII, col. 369, n. 4.

[5]) Locus hic invenitur in tom. V, opp. S. Chrysost. (ed. Montfaucon, Parisiis 1724) p. 539 sq.; Migne, P. Gr. LV, 531—534.

ἐπιλαβομένου λοιπὸν τῆς βασιλείας τοῦ Ἰσραὴλ Σαοὺλ καὶ ἀποδοκιμασθέντος, ἔγειρεν αὐτοῖς ὁ θεὸς βασιλέα ἐνάρετον δίκαιόν τε καὶ προφήτην, ὃς *συνέταξε τὴν βίβλον ψαλμῶν ρν΄*, ἐκ πνεύματος ἁγίου κινούμενος *ἐμμέτρως κατὰ τὸ μέτρον τὸ ἴδιον τῆς ἰδίας γλώσσης, ἐμμελῶς μετὰ ῥυθμοῦ καὶ ὀργάνων διαφόρων καὶ ὀρχήσεων καὶ ᾠδῶν αὐτοῖς ᾄδων*· ἦν γὰρ οὗτος κατέχων κιθάραν, εἶχε δὲ καὶ *διαφόρους χοροὺς* ὑφ᾽ ἑαυτῶν μικρῶν προφητῶν (οὕτω γὰρ ἐκάλει τοὺς παραμένοντας τοῖς προφήταις· πολλάκις δὲ καὶ υἱοὺς προφητῶν αὐτοὺς ὠνόμασεν) ἐχόντων διάφορα ὄργανα, τοῦ μὲν κύμβαλα τοῦ δὲ αὐλοὺς τοῦ δὲ τύμπανα τοῦ δὲ σάλπιγγας τοῦ δὲ ψαλτήριον καὶ κιθάραν τοῦ δὲ ᾠδοὺς τοὺς λεγομένους βουκολίους. *Ἕκαστος δὲ χορὸς ἔξαρχον εἶχεν, ὧν ὁ μὲν ἐλέγετο Ἀσάφ ἄλλος δὲ Ἰδιθούμ ἕτερος υἱοὶ Κορὲ ἄλλος Ἐθὰμ Ἰσραηλίτου ἕτερος Μωυσέως ἀνθρώπου θεοῦ.* Ἡνίκα τοίνυν ἐκινεῖτο ὑπὸ τοῦ πνεύματος προειπεῖν ἢ περὶ τῆς αἰχμαλωσίας τοῦ λαοῦ ἢ περὶ τῆς ἐπανόδου αὐτῶν ἢ περὶ ἠθῶν διδασκαλικῶν ἢ περὶ προνοίας ἢ περὶ τοῦ δεσπότου Χριστοῦ, *συνετίθει ἐμμέτρως τὸν ψαλμὸν ἕκαστον εἰς μίαν ὑπόθεσιν συντείνοντα* (διὰ τοῦτο γὰρ καὶ μικροὶ καὶ μεγάλοι ψαλμοὶ καὶ παρεδίδου ἑνὶ χορῷ)· ***εἰ δὲ πάλιν ἐδοκίμασε κατὰ τὸ μέσον τοῦ ψαλμοῦ καὶ ἄλλῳ χορῷ παραδοῦναι τὸ λοιπὸν τοῦ ψαλμοῦ, τότε αὐτὴ ἡ διαδοχὴ τοῦ ψαλμοῦ ἐκαλεῖτο διάψαλμα.*** Ὥστε καὶ ὅταν τοῖς λεγομένοις *ᾠδοῖς ἤτοι βουκολίοις* κατὰ μέσον τοῦ ψαλμοῦ ἠθέλοντα (sic!) παραδοῦναι, τότε ἐκαλεῖτο ᾠδὴ διαψάλματος, ἐπειδήπερ οἱ ᾠδοὶ ἐκ διαδοχῆς παρελάμβανον τὸ λοιπὸν τοῦ ψαλμοῦ ᾄδειν. Μαθεῖν δὲ ἔνεστι τῷ βουλομένῳ περὶ τούτου ἐκ τοῦ γεγράφθαι ἐν ταῖς παραλιπομέναις τῶν βασιλειῶν οὕτως· *καὶ ᾖσε τὴν ᾠδὴν ταύτην ἐν χειρὶ Ἀσὰφ τοῦ προφήτου. Μετὰ τὸ παραδοῦναι δὲ οὗτος πρῶτος τὸν ψαλμὸν, λοιπὸν ἕκαστος χορὸς καὶ καθ᾽ ἑαυτὸν καὶ ὁμοθυμαδὸν μετὰ τέρψεως καὶ ῥυθμοῦ τῶν μὲν ἐν τούτοις ὀργάνοις, τῶν δὲ ἐν ἐκείνοις ἀντιφώνως ᾖδον τὸν ψαλμὸν μετὰ ὀρχήσεως εἰς δόξαν καὶ αἶνον θεοῦ.* Ἔνεστι δὲ πάλιν καὶ περὶ τοῦτο μαθεῖν, ὡς αὐτὸς δι᾽ ἑαυτοῦ ὁ Δαυὶδ ἀναλαβὼν ἐκ τῶν Ἀλλοφύλων τὴν κιβωτὸν ὠρχήσατο ἔμπροσθεν αὐτῆς καὶ ὀνειδισθεὶς ὑπὸ τῆς ἰδίας γυναικὸς Μελχὼ ἔφη· παίξομαι καὶ γελάσομαι ἐναντίον κυρίου. Οὐ μόνον γὰρ οὐκ ἐπαύσατο, ἀλλὰ καὶ ἐπιτείνειν ἐπηγγείλατο. Τινὲς δὲ μὴ προςεσχηκότες τῇ τάξει καὶ τῇ ἀκριβείᾳ, μηδὲ θελήσαντες ἐκ τῶν εἰδότων ταῦτα διδαχθῆναι εἰς ἀλληγορίας ἐτράπησαν, μηδὲ πάντας εἶναι τοὺς ψαλμοὺς ἀποφηνάμενοι τοῦ Δαυὶδ, ἀλλὰ τῶν ἐξ αὐτοῦ παραλαμβανόντων φανεροὺς εἰρηκότες, ὅπερ ποτὲ ὁ κύριος ἢ ἀπόστολός τινος ἑτέρου περὶ ψαλμοῦ οὐκ ἐμνημόνευσεν, εἰ μὴ τοῦ Δαυίδ. *Διαγράφομεν οὖν αὐτὸν καθεζόμενον καὶ τοὺς χοροὺς ἔμπροσθεν αὐτοῦ δεξιᾷ καὶ ἀριστερᾷ, ὅπως γνῷ τις καὶ τὴν θέαν αὐτῆς τάξεως*· Μετὰ δὲ ταῦτα λέγοντες καὶ οὓς αὐτὸς ἠξιώθη προειπεῖν ψαλμοὺς περὶ τῆς τοῦ δεσπότου οἰκονομίας ποικίλως αὐτοὺς ἐν τῇ συνθέσει καὶ διαφόρως ἐναλλάξας τῷ σχήματι περὶ πάθους καὶ ἀναστάσεως τῆς ἀνθρωπότητος αὐτοῦ, ὁμοίως καὶ ὅτι τῇ θεότητι ἀΐδιος καὶ δημιουργὸς τῶν ἁπάντων ἐστὶ καὶ ἀνακαινιστὴς τοῦ παντὸς, πρὸς ὃν ἀφορᾷ πᾶς ὁ σκοπὸς τῆς θεοπνεύστου γραφῆς. *Χορὸς Ἰδιθούμ, χορὸς τῶν υἱῶν Κορέ, χορὸς* Ἐθὰμ τοῦ Ἰσραηλίτου, χορὸς Ἀσάφ, χορὸς *Μωυσέως ἀνθρώπου θεοῦ. Οὗτοι οἱ χοροὶ τῶν ὑπ᾽ αὐτὸν προφητῶν εἰσι διαφόροις ὀργάνοις ᾄδοντες καὶ ψάλλοντες καὶ ὀρχούμενοι εἰς δόξαν θεοῦ τοὺς γενομένους ἐκ πνεύματος ἁγίου ψαλμοὺς ρν΄.*»

§. 9. 6. St. Isidorus denique Hispalensis († 636) originum libro I, cap. 38[1]) de metris loquens: «*Heroicum*, inquit, carmen dictum, quod eo virorum fortium res et facta narrentur; . . . . quod metrum auctoritate cetera metra praecedit, unum ex omnibus tam maximis operibus aptum quam parvis, suavitatis et dulcedinis aeque capax. Quibus virtutibus nomen solum obtinuit, ut heroicum vocaretur ad memorandas scilicet heroum res, h. e. fortium. Nam et *prae ceteris simplicissimum habetur constatque duobus pedibus, dactylo et spondeo; ac saepe paene vel ex hoc vel ex illo, nisi quod temperantius fit utriusque mixtura, quam si instruatur a singulis. Omnibus quoque metris prius est. Hoc primum Moses in cantico*

---

[1]) Opp. omn. (ed. Jac. Du Breul, Coloniae Agr. 1617), p. 12; Migne, P. L. LXXXII, col. 118, n. 9.

Deuteronomii longe ante Pherecydem et Homerum cecinisse probatur. *Unde et apparet antiquius fuisse apud Hebraeos studium carminum quam apud Gentiles.* Siquidem *et Iob Moysi temporibus adaequatus hexametro versu dactylo spondeoque decurrit.*»

CAPUT TERTIUM.

QUID EX LOCIS ALLATIS VETERUM SCRIPTORUM CONCLUDENDUM SIT.

§. 10. 1. Omnes in eo conveniunt, cantica Mosis *Ex. 15* et *Deut. 32, librum 150 psalmorum,* librum *Iob* excepto prologo et epilogo *(i. e. 3, 3—42, 6), canticum quoddam Isaiae* (c. 5 an 38?), *Prov. 31, 10—31, lamentationes Ieremiae* metrica esse;

2. Psalmos constare versibus trimetris, tetrametris, pentametris, hexametris, ergo diversorum metrorum esse et mox Iambo currere mox Alcaico personare nunc Sapphico tumere nunc semipede ingredi;

3. librum Iob versibus constare hexametris dactylo spondeoque currentibus et *propter linguae idioma crebro alios pedes accipientibus non earundem syllabarum, sed eorundem temporum;*

4. scriptores illos sub *metro* mox unum pedem mox duos intelligere, quia e. gr. Psalmos 111 et 112 mox trimetris iambicis mox hexametris constare dicunt. Imo S. Hieronymus in prologo in Ieremiam sub metro aliud quid intelligit. Dicit enim, se quadruplex alphabetum, quo Ieremias civitatis suae ruinas planxit (i. e. Thren. 1—4), «*mensurae metri versibusque reddidisse*». Ad quae verba Martianaeus bene advertit: «Alphabetum quadruplex Lamentationum Ieremiae mensurae metri reddidit Hieronymus, quia seriem litterarum Hebraicarum ac numerum versuum in sua translatione Latina conservavit» (Opp. St. Hier., tom. I, p. 553, 554). Si ergo S. Hieronymus in ep. ad Paulam alphabetum primum, secundum et similiter quartum Ieremiae *quasi Sapphico metro* composita esse dicit, metrum sensu strictiore sumit; si vero ibidem tertium alphabetum trimetro scriptum esse contendit, aut sub metro duos pedes intelligit, ita ut habeantur versus trimetri iambici catalectici, i. e. versus quinque pedum et dimidii, aut similiter ac in praefatione in Ieremiam *ideo trimetrum* hoc alphabetum vocat, *quia «a ternis literis, sed iisdem terni versus incipiunt.»* Ergo S. Hieronymus eandem vocem triplici sensu adhibet. Ceterum hic monendum est, scriptores antiquos non semper accurate loqui, unde sibi ipsi contradicere videntur. E. gr. S. Hieronymus in ep. ad Paulam psalmos 119 et 145 (Hebr.) tetrametris Iambicis constare dicit sicut et canticum Deuteronomii (c. 32), cum in praef. in Chron. Eusebii versus Deuteronomii sicut ceterorum carminum Hebraicorum pentametros et hexametros esse contendat, advertens psalterium mox Iambo mox Alcaico vel Sapphico vel *semipede,* Iobi vero hexametros dactylo spondeoque currere; idem st. pater priore loco encomium mulieris fortis (Prov. 31, 10—31) tetrametris Iambicis, altero loco pentametris et hexametris compositum habet. *Mox* enim auctores illi *versum totum, mox stichum* (i. e. dimidium) ante oculos habent.[1]) Similiter vox «Iambi» in ep. ad Paulam totum versum Iambicum designare videtur, quia aequiperatur Alcaico vel Sapphico vel semipedi («Halbvers»; cf. Aus. ep. IV, 87; Gell. XVIII, 15).

5. Porro e verbis (Pseudo-?) Philonis et Cosmae Indicopleustae, qui picturam quandam Codice Vaticano Graeco (n. 699) contentam describit, elucet, Davidem cantica composuisse

---

[1]) Cf. Kuenen, Hist.-krit. Einl. etc. III, 1, p. 15, n. 2.

a diversis choris alternis (vicibus) «cum modulatione cumque rhythmo instrumentisque diversis, choreis et cantionibus» pronuntianda et ipsam chororum successionem in psalmo factam «diapsalma» vocasse, qua in re Therapeutae eum imitati esse dicuntur.

6. Origenes testis est, Hebraeos versus aliter computasse ac Christianos Graecos, et ita quidem, ut apud illos nonnisi duo saltem στίχοι (Versglieder, membra) facerent versum.

CAPUT QUARTUM.

UTRUM SCRIPTORES ILLI ANTIQUI LOCIS ALLATIS REVERA DE METRICO RHYTHMO LOQUI POTUERINT NECNE.

§. 11. Non desunt, qui putent, scriptores illos, ut Cardinalis Pitra[1]) verbis utamur, ***conferentes metra classica*** *cum biblicis ariolatos esse.* Idem sentiunt Budde, Kuenen, Cornely aliique,[2]) imo iam saec. XVII. Sanctius, in thren. praef. 5, scribit: «Ut verum fatear, nullos tam in his threnis quam in aliis S. S. canticis numeros invenio nullamque legem, quae perpetua sit, licet in ea cura aliquamdiu sudaverim.» Etiam Ley, qui Hebraeorum artem metricam invenisse sibi videtur, scriptores antiquos errasse dicit. Putant hi viri eruditi et cum iis alii multi, scriptores illos Graecis et Latinis persuadere voluisse, poemata sacra iuxta leges composita esse aequales illis, quibus prosodia poetarum classicorum inniteretur, ideoque terminis quoque Graecis usos esse. Monent etiam, scriptores illos nulla afferre exempla, sed a posterioribus priores testes nominari, unde existimant, neque eos ipsos systema metricum Hebraeorum perspectum habuisse. Alii tamen causam nondum finitam esse concedunt, ut Saalschütz et Riehm, qui ephemeride «Theol. Stud. u. Krit. 1874, p. 763, nota animadvertit: «Wiewohl auch ich mich bisher nicht davon habe überzeugen können, dass dasselbe (i. e. systema a Ley inventum) das eigentliche Wesen der Form der hebräischen Poesie an das Licht gebracht hat, so scheint mir doch die Frage noch eine eingehendere Untersuchung zu fordern, *ob nicht doch auch im Gebiet der lyrischen Poesie neben der für ihre Form in erster Linie in Betracht kommenden feinen Ausbildung einer mannigfaltigen Gliederung im Satz- und Gedankenrhythmus, als secundäres Moment wenigstens in einer Anzahl von Liedern mit bewusster Absicht ausgebildete und nach der Zahl der Hauptbetonungen gemessene, wirkliche Metra nachweisbar sind.*»

§. 12. Priores viri eruditi scriptores antiquos hariolatos esse ideo censent, quia putant, eos versus Graecos ante oculos habuisse et de metro *pure syllabico,* i. e. syllabarum quantitati innixo locutos esse (cf. Pitra, l. c., et Kuenen, l. c. p. 15). Attamen res ita se non habet vel saltem aliter se habere *potest.*[3]) Ipse Kuenen, l. c. p. 26, concedit, St. Hieronymum in

---

[1]) Anal. s. II, p. 341.

[2]) Buxtorf fil. (Liber Cosri, p. 407) ait: «Quae e veteribus Flavius Iosephus, Philo Iudaeus, Eusebius, Hieronymus, Theodoretus, Isidorus de illis scripserunt, tantum abest, ut rem obscuram illustriorem reddiderint et lectoribus satisfecerint, ut potius incertos magis et perplexos animos eorum reddiderint, quia id, quod illi tradiderunt, nuspiam invenire potuerunt. Unde *vel aliter verba eorum esse intelligenda et exponenda vel fumos lectoribus vendidisse(!)* et nimis audacter de rebus non satis cognitis atque perspectis eos pronuntiasse, alii existimant.»

[3]) Id advertit iam Theodorus Ebertus (Poetica Hebraica etc., Ugolini thesaur. antiqq. ss., vol. XXXI, col. XXVII), qui in auctario regulae primae poesis sacrae: «Cum Hieronymus», inquit, «Lyrica, Iambica, Sapphica et Alcaica et cum Iosepho et Eusebio Hexametra Hebraeorum metra appellitat, *cave intelligas, ea*

praef. in Iob indicare *sensum relativum* terminorum adhibitorum; et adicere possumus, S. Hieronymum alias quoque voce «*quasi*» vel aliis verbis indicare, se non de rhythmis et metris Graecis, sed tantum de similibus loqui; porro Kuenen concedit, revera versus libri Iob plerumque e duobus stichis trinorum accentuum (trinarum sublationum, ἄρσεων) compositos et *quodammodo* hexametros esse. Si ergo accurate verba scriptorum antiquorum, praesertim S. Hieronymi, perpendimus, dicere debemus, saltem hunc doctorem metrum ante oculos habuisse neque syllabicum tantum neque accentibus tantum innitens, sed *tam ab accentibus quam a syllabarum quantitate pendens*, quia versus libri Iob hexametros esse dicit dactylo spondeoque currentes et ***propter linguae idioma*** (ergo non metrum Graecum intelligit!) *crebro alios pedes accipientes* ***non earundem syllabarum****, sed eorundem temporum;* verbis «non earundem syllabarum» excluditur etiam rhythmus a solo syllabarum numero pendens.

§. 13. Iam saec. XVI. Rabbi Azaria de Rossi,[1]) praeclarus rerum Iudaicarum scriptor in libro, qui מְאוֹר עֵינַיִם inscribitur, eloquia scriptorum antiquorum supra allata exemplis

---

posse componi more Latinorum et Graecorum. Graeci enim et Latini, quia abundant vocibus brevium et longarum syllabarum varietate constantibus, diversa metrorum genera excogitarunt. Atqui Hebraea lingua plurimas syllabas longas habet, ut et Germanica; qua de causa tanta metri varietas ibi non cernitur. Sine dubio syllabas respexit Hieronymus, ut quod Iambicum Latinis id Hebraeis octosyllabum; quod illis Sapphicum, his hendecasyllabum; quod illis Hexametrum, his dodecasyllabum; quod illis Alcaicum, his hexadecasyllabum. Quo igitur loco indicium, quod hac in parte contra Hieronymum in Eusebianis facit Scaliger, ponendum sit, lector iudicabit.»

[1]) R. Azaria non multum afuit, quin indolem metricae Hebraicae cognosceret. Sensit rhythmum canticorum Mosis (Exod. 15 et Deut. 32), nam ita de eis scribit: «In cantico Mosis Ex. 15, 6 ימינך יהוה est versus [vel potius membrum versus!] unus, duobus constans terminis; נאדר בכח est ei similis et cohaerens; qui iuncti faciunt quatuor (tetrametrum); ימינך יהוה secundum facit duos alteros terminos; תרעץ אויב iterum duos; et sic etiam sunt quatuor. Sic vers. 9:

אמר אויב ארדף אשיג:
אחלק שלל תמלאמו נפשי:
אריק חרבי תורישמו ידי:

נשפת ברוחך כסמו ים:
צללו כעופרת במים אדירים: etc.

Canticum Deuteronomii constat ternis, qui geminati faciunt sex (hexametrum), velut:

האזינו השמים ואדברה
ותשמע הארץ אמרי־פי:

יערף כמטר לקחי
תזל כטל אמרתי: etc.

Quandoque in versu uno nedum in integro cantico duo haec genera (tetrametrorum et hexametrorum) concurrunt, prout sc. Spiritus super Propheta requievit et varietas intentioni ipsius rei conveniebat. Ex. gr. (Ex. 15, 8):

וברוח אפך נערמו מים: sunt bini, qui faciunt tetrametrum; נצבו כמו־נד נזלם קפאו תהמת בלב־ים: sunt duo trimetri, qui constituunt hexametrum. Sic canticum Putei incipit a trimetris, postea subiunguntur dimetri. Similiter in oratione Habacuci ... versus sunt trimetri:»

אלה מתימן יבא וקדוש מהר פארן ותהלתו מלאה הארץ:

Observandum etiam est lectori, in quibusdam versibus occurrere quasdam voces, quae non ingrediuntur in mensuras illas sicut in cantico Deuteronomii in ויאמר אסתירה פני מהם vox ויאמר est vocabulum per se ut sic אסתירה פני מהם trimetrum conficiat; אראה מה אחריתם est trimeter alter; duo item nomina tetragrammata in oratione Habacuci in versu י״י שמעך etc. quorum unumquodque seorsim est legendum, ac quae illis sunt adiuncta, faciunt trimetrum; versus autem iste כי תאנה לא תפרח (Hab. 3, 17) aliam seu diversam habet rationem ex subiecto et praedicato; subiectum est תאנה, praedicatum לא תפרח; sic in quolibet versu, qui complectitur duodecim דבורים enuntiata, reducuntur ad sex metra. Non enim tibi sunt numerandae vel syllabae

illustrare conatus est, sed confiteri debuit, se carmina Hebraica legentem *sentire quidem legem rhythmicam ultra tendentem,* sed non posse eam perspectam cognitamque habere; respectum enim habuit tantum accentus primarii.

§. 14. Idem conemur et nos, antequam leges metricas poesis Hebraicae statuimus. Vis audire versus *hexametros*? Audi Deuteronomii canticum (Deut. 32, 1. 2):

האזינו השמים ואדברה | ותשמע הארץ אמרי פי:
יערף כמטר לקחי | תזל כטל אמרתי:

vel Iob 3, 10—12:

כי לא סגר דלתי בטן | ויסתר עמל מעיני:
למה לא מרחם אמות | מבטן יצאתי ואגוע:
מדוע קדמוני ברכים | ומה־שדים כי אינק:

vel: psalmum 68, 8. 9 (cum binis caesuris) et 12 (cum una):

אלהים בצאתך | לפני עמך | בצעדך בישימון:
ארץ רעשה | אף־שמים נטפו | מפני אלהים:
אדני האל יתן אמר | המבשרת צבא רב

In eodem psalmo inveniuntur etiam versus tetrametri, i. e. octonarii tam catalectici quam acatalectici. Catalectici e. gr. sunt versus 25 et 26 (4+3):

ראו הליכות אלי מלכי | הליכותיך אלהים בקדש:
קדמו שרים אחר נגנים | בְּתָוֶךְ עלמות תופפות:

vel (3+4) v. 29:

צוה אלהים עזך | עוזה אלהים זו־פעלת לנו:

Acatalectici sunt, e. gr. versus 20 et 21:

ברור אדני בכל יום ויום | יעמס עלנו האל ישועתנו:
האל הוא לני אל מושעות | ליהוה אדני למות תוצאות:

Imo etiam octonarii *semipede currentes* (4+3+4), e. gr. v. 7:

אלהים מושיב יחידים ביתה
מוציא אסירים בכושרות
אך סוררים שכנו צחיחה:

---

vel dictiones, sed sensus. Hinc saepe particula parva coniungenda est cum voce proxima. Hunc etiam ordinem observant versus psalmorum: חנני אלהים כחסדך tribus constat; sic: כרב רחמיך מחה פשעי: בה׳ אהלל דבר: באלהים אהלל דבר. Sic et Proverbia Salomonis:

חכמות בחוץ תרונה: ברחובות תתן קולה:

Non me fugit autem, inveniri quosdam versus, quos non possum accommodare ad rationes seu modos istos et forte nimis multos. Verum his observatis intelligentes forte illustrabuntur et invenient, de quibus ego non cogito.» Buxtorf, l. Cosri, p. 418 sq.; Wolff, der Prophet Habakuk, p. 23 sqq.; cf. Cosri, part II, §. 72. Similiter W. Wickes in libello, quem inscripsit: «טעמי אמ״ת A treatise on the accentuation of the three so-called poetical books of the old testament, Psalms, Proverbs and Iob» (Oxonii 1881), p. 38 sqq. mediantibus accentibus dirimentibus versus Hebraicos in cola et commata dividit relationemque ostendit, quae inter syntaxin et hanc divisionem accentibus indicatam obtinet. Cf. etiam I. M. Iaphet, מורה הקורא, Die Accente der heil. Schrift (Francof. ad Moenum 1896), p. 14 sqq.

In eodem psalmo habes denique versus pentametros e. gr. versus 34a et 34b:

זמ́רו לאלה́ים לר́כב | בשמ́י שמי־ק́דם׃
ה́ן ית́ן אלה́ים | בקול́ו קול־ע́ז׃

Quorum prior *Sapphico tumet,* i. e. versui S. similis est, cuius schema hoc est: –́ ◡ –́ ⏓ –́ ◡◡ –́ ◡ –́ ⏓, posterior autem *Alcaico personat,* cuius schema hoc est: ⏓ –́ ◡ –́ ⏓ | –́ ◡◡ –́ ◡ ⏓, quia sublatione (ἄρσει) finitur. En metra varia in eodem cantico, *μέτρα ποικίλα!*

Pentametros etiam in Thren. 1—4 habes, quos S. Hieronymus **quasi** *Sapphico metro currere* dicit, e. gr. 3, 25 et 46:

ט́וב יה́וה לק́וו | לנ́פש תדר́שנו׃
פ́צו על́ינו פי́הם | כ́ל־איב́ינו׃

Hi versus pentametri caesuram plerumque inter ἄρσιν (sublationem) 3 et 4, rarius post secundam habent, quare S. Hieronymus animadvertit (ep. ad Paulam), in alphabeto primo et secundo tres versiculos ab una tantum litera incipientes Heroici commate concludi.

§. 15. Diapsalmatis vim intelliges, si psalmum 89 attente perlegeris. Invenies enim סלה in textu Hebraico post versus 5, 38, 46 et 49; insuper in psalterio Gallicano post v. 19. De voce סלה Iacob in ephemeride «Zeitschrift für die alttestamentliche Wissenschaft, 1896, p. 129 sqq. quaestionem constituit. Ibi (p. 173 sqq.) Graecorum patrum de hac voce sententias affert et S. Hieronymi Hilariique eloquia. Patres *Graeci* diapsalmate designari putant *mutationem vel* **personae** *vel rhythmi vel cantus vel modi docendi vel sensus vel roboris orationis.* S. Hilarius Pictaviensis († 369), proleg. in Psalmos n. 23, scribit: «Diapsalma, quod interiectum plurimis psalmis est, cognoscendum est, denuntiationem aut personae aut sensus sub conversione modi musici inchoari: ut, sicubi diapsalma intercesserit, aut aliquid aliud dici aut etiam ab altero dici aut in altero artis musicae modulo cantari intellegendum sit; et de personis ac sensibus, ubi diapsalma intercedere reperiemus, rationem afferre temptabimus; ceterum modi musici disciplinam conservare translatio Graeca et Latina non potuit.» Quod propositum non feliciter exsecutus est; cf. Zenner, Die Chorgesänge im Buche der Psalmen, p. 19, n. 1. Ibi inveniuntur etiam verba S. Augustini (Migne, P. L. 36, 80): «Interpositum diapsalma vetat istam (locutionem) cum superiore coniungi . . .; certe illud probabile est non recte continuari et coniungi sensum, ubi diapsalma interponitur. S. Hieronymus in ep. ad Marcellam et commentario in psalmum 4 tantum aliorum sententias affert. Iacob ex sua disputatione id effici putat, ut voce סלה designetur intermissio aut in cantu aut pro cantu liturgico facta; omnes ergo psalmos, in quibus ס' inveniatur, cantica liturgica esse dicit. Quid autem etymologice vox haec significet[1]) industria celatum esse. Talmud, Barajtha Ioma 38[a] enim complures familiae leviticae nominantur, quae nullo modo mysteria ad cultum templi pertinentia tradere voluerunt; in quibus fuit Hygros ben Levi, qui gnarus fuisse dicitur intermittendi cantum, noluisse tamen hanc artem alium quemquam docere. Sed fuisse quoque videntur, qui rem ediscere nollent, quales vituperat Cosmas Indicopleustes, cui vim vocis ס' debemus; quam etiam Agellius et Bossuetus suspicati sunt, cf. Zenner, l. c.

---

[1]) De etymologia vocum cf. Zenner, l. c., p. 16, n. 1, ubi in memoriam revocat, vocem Assyriacam סלה designare: excutere iugum, et Assyrios ad carminum partes distinguendas lignis quibusdam usos esse; et revera notatu dignum est vocem Syriacam ܣܘܪܛܐ Hebraicae הגיון similem «lineam» designare, vocem arabicam هُجّ «iugum bovis», vocem vero هُجَيج «lineas a mago ductas».

§. 16. Iacob, l. c. p. 170, per se intellegi dicit, diapsalmate quantum fieri possit, non tantum cantus intermissionem, sed etiam sensus mutationem indicari. Utrum autem strophae quoque primum diapsalmate distinctae sint necne, persuasum sibi non habet. Tamen id elucere nobis videtur e psalmo 89. Auctor huius carminis a duobus choris alternis canendi Deo supplicat, ut memor sit benignitatis et fidei suae Davidi ipsi praestitae, sed et semini eius aeternum promissae, ut eandem misericordiam nunc quoque populo et uncto suo praestet. Condiciones populi electi eiusque regis minime respondent promissionibus divinis Davidi factis. Quibus promissionibus et Dei maiestate ac veracitate delectatus auctor a Deo petit, ut, memor promissionum suarum et respiciens opprobrium populi et uncti sui, inimicos suos, qui sunt hostes populi, humiliet populique sui gloriam restituat. Primum סלה stropham primam a choro I canendam indicat, v. 2—5. Sunt 4 versus, quorum argumentum est: foedus aeternum, quod Deus cum Davide pepigit. Miranda est fides firma auctoris, qui, cum ex eius temporibus elucere videatur, Iahve foederis sui cum Davide pacti oblitum esse vel plane non esse Deum veracem et omnipotentem, tamen sibi proponit, ut Dei benignitatem et fidelitatem praedicet et carmine celebret. Schema sublationum (ἄρσεων) hoc est . . . .

4 + 4
4 + 4
3 + 3
3 + 3

Eloquium divinum metro alio compositum est ac versus priores. Strophae I^ae^ respondere debet antistropha I^a^ a choro altero pronuntianda: v. 6—9, cuius argumentum est: Qualis ille Deus est, qui foedus illud cum Davide pepigit? Est ille, cuius gloriam coeli enarrant, cuius fidelitatem sancti, i. e. fideles Hebraei, in conventibus religiosis praedicant. Schema antistrophae I^ae^ est . . . .

4 + 4
4 + 4
4 + 4
4 + 4

Nunc ambo chori Dei huius maiestate rapti alternis (vicibus) singulos versus canentes describunt, quomodo Deus Iahve magnificum se ostendat gubernatorem mundi, i. e. creaturae cum irrationalis tum rationalis. Et talium stropharum alternis canendarum proprium esse videtur aliquid describere seu exponere. Schema huius strophae alternis canendae est . . . .

I : 4 + 4
II : 4 + 4
I : 4 + 4
II : 4 + 4

Post v. 19 in Psalterio Gallicano invenitur Diapsalma, quod iterum mutationem chori indicat. Quia vero post hunc versum iterum descriptio quaedam sequitur, versus 14—19 in duas strophas dividendi sunt, ita ut stropha a choro I canenda versibus 14—16 contineatur . . . .

4 + 4
4 + 4
4 + 4

antistropha II ab altero choro canenda versibus 17—19 . . . .

3 + 3
3 + 3
3 + 3

Argumentum strophae II^ae^ est: Iahve, tu adhuc es gubernator totius mundi, firmiter hoc credimus. Beatus populus, qui in tuo lumine ambulat; habet, cur exsultet. — Argumentum antistrophae II^ae^ hoc est: Iahve, in nomine tuo adhuc exsultamus; tu adhuc gloria nostra, virtus nostra, rex noster es. Nunc fuse describit auctor promissionem divinam Davidi factam stropha II^a^ alternis pronuntianda, versibus 20—30; hic ambo chori se invicem excipiunt binos versus canentes, hoc modo . . . .

I :	3 + 3 3 + 3	II :	3 + 3 3 + 3
II :	3 + 3 3 + 3	I :	3 + 3 3 + 3
I :	3 + 3 3 + 3	II :	3 + 3 3 + 3

Versus 31—38 iterum in duas strophas dividendi sunt, quae סלה secundo T. M. separantur a stropha tertia alternis canenda et condicionem regni Iudaici tempore psalmistae describente. Argumentum strophae III^ae^ a primo choro canendae est: Si Davidis posteri foedus frangant et a Deo deficiant, Deus virga (paternae disciplinae) eos castigaturum se esse minatur. Schema huius strophae est . . . .

3 + 3
3 + 3
3 + 3
3 + 3

Argumentum antistrophae III^ae^ est: Deus fidem nullo modo franget. Ne iniquitates

quidem posterorum Davidis eum impedire unquam possunt, quominus promissionem Davidi de regno aeterno factam adimpleat . . . . 3 + 3 | 3 + 3 | 3 + 3 | 3 + 3
Et tamen Deus populum et unctum suum reiecisse videtur; nam tempora auctoris, quae stropha III[a] alternis pronuntianda fuse describuntur, promissionibus divinis minime respondent. Cuius strophae finis סלה tertio textus masorethici indicatur. Schema eius metricum est . . . .

I: 3 + 3, 3 + 3; II: 3 + 3, 3 + 3 | I: 3 + 3, 3 + 3; II: 3 + 3, 3 + 3

Sequuntur stropha IV et antistropha IV, סלה quarto textus masorethici ab invicem distinctae. Argumentum strophae IV[ae] a choro I[o] pronuntiandae hoc est: Quousque, Iahve! irasceris nobis, quos tam fragiles tamque infirmos creasti? Schema metricum est . . . . 4 + 4 | 4 + 4 | 4 + 4 | 4 + 4
Argumentum antistrophae IV est hoc: Ubi sunt pristinae misericordiae tuae, Iahve? Vide, quomodo servi tui iniuriis et maledictis onerentur ab inimicis tuis! Schema hoc est . . . . 4 + 4 | 4 + 4 | 4 + 4 | 4 + 4
Quarto סלה textus masorethici divisio versuum 14—19 et 31—38 in binas strophas probatur, sicut et primo 2—5 et 6—9.

Origenis vero sententia, duobus saltem stichis (membris) constitui unum versum, probatur textu Hebraico libri Ecclesiastici nuperrime invento, ubi versus στιχηδὸν scripti sunt hoc modo (Eccli. 49, 1):

שם יאשיה כקטרת סמים | הממלח מעשה רוקח:

Cf. Vigouroux, Dictionnaire de la Bible, fasc. XIII, s. v. Ecclésiastique et Zenner, l. c., p. 90.

§. 17. Nota: Quod ad libros propheticos attinet, S. Hieronymus in praef. libri Isaiae animadvertit: «Nemo quum prophetas versibus viderit esse descriptos — distinxit enim versuum cola et commata, cf. editionem Maurinam opp. S. Hier. — metro eos aestimet apud Hebraeos ligari et aliquid simile habere de psalmis vel operibus Salomonis; sed quod in Demosthene et Tullio solet fieri, ut per cola scribantur et commata, qui utique prosa et non versibus conscripserunt. Nos quoque utilitati legentium providentes interpretationem novam novo scribendi genere distinximus.» Videtur S. Hieronymus etiam in libris propheticis rhythmum quendam sensisse a rhythmo prosae diversum, item cognovisse parallelismum membrorum, qui non est nisi rhythmus cogitationum; certe novit quoque, libros propheticos saepe cantica metrica continere, saepe mere esse prosaicos. Si modum scribendi versus allatum «novum» vocat, ideo fit, quia apud Christianos usitatus non erat; apud Iudaeos more receptus erat, ut ex M. S. libri Eccli. supra allato et ex Origenis verbis satis manifestum est. Inde concludere possumus, quare S. Hieronymus saepius ad scriptores antiquiores cum Christianos tum Iudaeos provocet, ubi de metro loquitur: quia Christianis ignotum erat neque ab eis e versione Graeca vel Latina cognosci poterat.

PARS SECUNDA.

SYSTEMATICE EXPONUNTUR VARII CONATUS ERUDITORUM, QUI A SAEC. XVII USQUE AD NOSTROS DIES (1898) IN STATUENDIS STROPHIS, METRIS, RHYTHMIS CARMINUM Aⁱ Tⁱ LABORAVERUNT.

CAPUT PRIMUM.

DE SYSTEMATIBUS METRICIS.

§. 18. Inquiramus nunc in systemata eruditorum trium ultimorum saeculorum, ut videamus, utrum tale inveniatur, quod cum eloquiis antiquorum scriptorum respondeat tum vere metricum sit; nam omne metrum quidem rhythmus esse debet, non tamen omnis rhythmus iam metrum est, ut bene advertit S. Augustinus.

Systemata eorum, qui in poematibus Hebraicis S. Scripturae metra inveniri statuerunt, triplicis generis sunt: alii enim eloquia antiquorum scriptorum de metris Graecis intelligentes versus Hebraicos *quantitate et mensura syllabarum* regi dicunt, alii leges poesis Hebraicae metricas *syllabarum numero* inniti, alii denique eas a *solis accentibus* pendere putant; sed haec omnia systemata iam iis, quae supra ex eloquiis antiquorum scriptorum conclusimus, excluduntur. Unde tamquam quartum genus tale tractandum erit, quod *cum a quantitate tum ab accentibus* pendeat quodque solum omnibus proprietatibus necessariis praeditum sit.

I. Systemata metrica syllabarum quantitati innixa.

Ex eis, qui syllabarum quantitati metra carminum Hebraicorum inniti contendunt eandemque pedum seu metrorum varietatem in eis inveniri, quam poetae Graeci et Latini vel etiam Arabes distinxerunt, sunt:

§. 19. 1. Franciscus Gomarus († 1641), Brugensis, Groningae olim theologiae et linguae Hebraicae professor, qui a. 1637 Lugduni Batavorum librum edidit, cui est titulus: Davidis lyra s. nova Hebraica S. Scripturae ars poetica (Opp. omn., II, 313—366, ed. II). In priore huius libelli parte certas quasdam regulas statuit de syllabarum *quantitate, quam a solis vocalibus pendere* contendit. Dein pedes metricos in carminibus Hebraicis obvios enumerat, primarios distinguens et secundarios, i. e. tales, qui tantum cum primariis coniuncti inveniantur. Primarii sunt: Iambus, Trochaeus, Dactylus, Anapaestus, Ionicus a maiore et a minore, Antispastus, Choriambus, Paeon primus vel quartus vel amborum loco Creticus; secundarius Spondaeus est. Pedes tres patiuntur affectiones: *synaeresin,* qua duorum brevium loco unus substituitur longus; *dialysin,* qua unius longi loco substituuntur duo breves; *commutationem,* qua pedis unius loco affinis vel usu ferente alienus substituitur. Capite 3° de carminum generibus agitur, quae, si sunt pura, a novem pedibus primariis

nominantur; possunt autem et mixta esse, i. e. alienos pedes continere. Distinguuntur mixta analoga et anomala, prout pedes substituti cum primariis congruunt vel non congruunt. Porro carmina sunt perfecta aut imperfecta, i. e. catalectica et hypercatalectica, prout pedes determinato numero inveniuntur vel non. «Carminum sacrorum membra inter se absque ulla periodi aut coli intercessione cohaerent» (§. 18). Capitibus 4—22 canones ad novem illa carminum genera pertinentes traduntur, capite 23 denique canones de Hebraicis S. Scripturae carminibus continentur, quorum primus est: «*Omnia(!)* S. Scripturae poemata *variis* ac *promiscuis* generibus constant,» quo canone auctor ipse totum systema suum evertit. In appendice posita sunt exempla poesis Hebraicae cum carminibus Graecorum et Romanorum collata. Inter alias de syllabarum quantitate hae leges statuuntur: «Brevis syllaba est, quae habet brevem, h. e. simplicis temporis vocalem; vocales breves per se quidem sunt quinque, per accidens vero tres brevissimae, quas raptas vocant; . . . syllaba brevis positione non fit longa.» Priores leges innituntur vocalium Hebraicarum distinctioni in quinque longas et totidem breves, quae tamen distributio a grammaticis Iudaeis excogitata est, non autem linguae Hebraicae ingenio convenit neque vera est. Nam rectius vocales Hebraeorum in tres classes rediguntur, quarum una sonum acutum ◌ִי, ◌ֵי, ◌ִ, altera sonum medium ◌ָ, ◌ַ, ◌ֶ(ae), tertia sonum gravem ◌ֹ, ◌ָ (Qameṣ chatûf), וּ, ◌ֻ exprimit (cf. Wenrich, De poesis Hebr. atque Arab. orig. etc.; H. Grimme, Grundzüge der hebräischen Accent- und Vocallehre). Porro non omnes vocales, quas Gomarus breves esse putat, semper corripiuntur, e. gr. Segol, Chîreq, Qibbuṣ ante literas quiescentes; Chîreq potest simpliciter et defective pro Chîreq magno et Qibbuṣ pro Šûreq poni. Regulam autem, iuxta quam syllaba brevis positione longa fieri negatur, omnium linguarum, in quibus vocales longae et breves distinguantur, legibus adversari per se manifestum est. Gomarus ergo in statuendis vocalibus longis et brevibus plane ad arbitrium suum agit, quare merito quidam[1]) Gomari lyram delirasse dicit. Gomari systema adoptarunt Daniel Heinsius, L'empereur (Epicrisis), Lud. de Dieu, Hottinger; Buxtorf iun. (Liber Cosri, p. 407) eum multa quidem sane ingeniose, erudite et praeclare eruisse et produxisse asserit, «quae tamen non ubique aeque applicari possint.» L. Capellus autem id impugnavit tractatu, qui inscribitur: «Ad novam Davidis lyram animadversiones» (Salm. 1643).[2]) Vide Ugolini thesaurum antiqq. ss., vol. XXXI, col. 609 seqq.

§. 20. Specimen metricae Gomari sit eius analysis poetica cantici primi Mosis (Ex. 15, 1—6). «Versiculi, inquit, huius cantici sunt 19: constant autem (pro dispari longitudine)

---

[1]) Danhauer, Homil. academ., p. II, hom. 19, p. 530 seqq.

[2]) Si sic licet ἀναλύειν, ait Cappellus p. 50, omnia versus fient, etiam ea, quae maxime videntur esse a ratione carminis aliena. Libri, inquam, omnes sacri historici et quotquot non sunt neque ab ullo censentur esse carmine conscripti, iuxta hanc methodum et analyseos rationem inveniuntur carmine scripti. Constant enim variis multisque periodis, periodi distinguuntur in cola, colon in commata unum vel plura: commata autem omnia iuxta hanc analysin erunt totidem versus, quorum alii dici poterunt Iambici, alii Trochaici, quidam Sapphici, alii Dactylici vel Anapaestici, Choriambici, Ionici, Paeonici, Antispastici iique erunt vel puri vel mixti, et mixti erunt vel analogi vel anomali; sicque carmina invenientur vel perfecta vel imperfecta idque vel in excessu vel in defectu, atque ita erunt vel integra vel ὑπέρμετρα eaque vel καταληκτικά vel ἀκαταληκτικά vel ὑπερκαταληκτικά etc. Eorumque alia erunt Monometra, alia Dimetra, Trimetra, Tetrametra, Pentametra vel Hexametra. Iuxta hanc resolvendi et dinumerandi viam atque rationem, quam tradit huius Poeticae auctor, nihil non erit versus. Omnia inveniuntur carmine scripta, etiam Ciceronis epistolae et Demosthenis orationes: sic Titi Livii libri et Caesaris Commentarii resolvi poterunt iuxta hanc methodum in versus et carmina variorum generum vaga et incerta, qualia vult esse sacra carmina vir magnus. Quod quam sit absurdum, omni cordato lectori aestimandum et iudicandum relinquo.»

quatuor eorum disticho, ut 3, 12, 14, 18, quinque tristico, 1, 5, 8, 9, 15, octo tetrastico, ut 2, 4, 6, 7, 10, 13, 16, 17, denique nonum pentastico et decimum nonum hexastico.

V. 1.

Primum, dactylic. dimetrum: – –|– –|– –.	אשירה ליהוה
2. simile catalecticum: – –|– –|–.	כי גאה גאה
3. trimetrum simile: – –|– –|–⏑⏑.	סוס ורכבו רמה בים:

V. 2.

Primum, iambic. monomet. hypercatalectum: ⏑ – ⏑ –|–.	עזי וזמרת יה
2. iambic. dimet. brachycat. Doricum: ⏑ – – –|– –.	ויהי לי לישועה
3. antispasticum dimet. brachycat.: ⏑ – – ⏑|– –.	זה אלי ואנוהו
4. epichoriambicum trimet. brachycat.: ⏑ – – –|–⏑⏑–|⏑ –.	אלהי אבי וארממנהו:

V. 3.

Primum, trochaicum dimet. brachycat.: – – – ⏑|– –.	יהוה איש מלחמה
2. dactylicum dimetrum catalect.: – –|–.	יהוה שמו:

V. 4.

Primum, iamb. dimet. brachycat.: ⏑ – ⏑ –|– –.	מרכבות פרעה וחילו
2. iamb. monometrum: – –|⏑ –.	ירה במים
3. dactyl. trimet. catalect.: –⏑⏑|– –|–.	ומבחר שלישיו
4. iamb. monomet. purum: ⏑ – ⏑ –.	טבעו בים סוף:

V. 5.

Primum, anapaest. monometrum: – –⏑⏑–.	תהמת יכסימו
2. iamb. monomet. hypercat.: – – ⏑ –|–.	ירדו במצולות
3. iamb. monomet. catalect.: – – ⏑.	כמו אבן:

V. 6.

Primum, dactylic. dimetrum: – –|– –.	ימינך יהוה
2. epionic. a minore dimet. catalect.: ⏑⏑– –|⏑ – ⏑.	נאדרי בכח
3. dactylic. dimetrum: – –|– –.	ימינך יהוה
4. ionic. a minore monomet.: ⏑ – ⏑ –.	תרעץ אויב:.»

Notandum est, Gomarum regulas suas metricas tantum in 7 psalmis alphabeticis (25, 34, 37, 111, 112, 119 א, 145), Prov. 31, 10—31, Thren. 3, duobus canticis Mosis (Ex. 15 et Deut. 32), Iob 3 in usum vertisse.

§. 21. 2. Marc. Meibom, qui, cum Gomarus textum Masorethicum integrum esse poneret, eum plane corruptum declaravit promittens, eum ope novarum legum metricarum pristinae integritati redditurum esse. Libellus eius, qui inscribitur: «Davidis psalmi X, item VI S. Scripturae V. T. integra capita» (Amstelodami 1690, fol.) tantum psalmorum illorum textum Hebraicum una cum versione Latina continet. Edidit idem libellum secundum, cui titulus est: «Novarum in s. Hebr. codice interpretationum et explicationum suarum specimen II et pars quaedam tertii» (ibid. 1678). Tertium libellum suum Meibomius inscripsit: «Adnotationum in Ezechielis cap. XXXI usque ad v. 15 pars prior, quae est κατασκευαστική, suarum in Sacro Hebraeo Codice explicationum specimen tertium.» In libello primo (p. 1) vaniloquus auctor ait: «Postquam autem Deo placuisset, omnem divinae Poetices constitutionem mihi revelare, omni animi contentione elaborandam mihi existimavi, ut non solum Psalmos, sed omnem Hebraeam Scripturam metro suo h. e. priscae et germanae lectioni restituerim.» Attamen frustra, «sex millia curiosorum virorum» poposcit, «qui singuli exemplar duobus voluminibus in folio editum recipere vellent pretio quinque librarum

Sterlingicarum.» unde (eheu!) nihil amplius in lucem edidit. Mox viri docti eum impugnarunt, uti Iac. Triglandius, Ioh. Henr. Maius, Brandanus Henr. Gebhardus, Ioh. Ioach. Zentgravius, Ioh. Frid. Valiserus, Ioh. Clericus. Proferatur e. gr. ps. 23 iuxta editionem Meibomii:

1. «Iah rohhi lo- echsar*ah*
   bin-oth jarbi-tseni.
2. El-mei*mei* beeroth jenahaleni
   naphschi jeschobeb.
3. Iancheni *jomam* bemahh-gelei tsadek
   lemahhan schemo.
4. Gam ci-elech begei tselmaveth
   lo-ira *me*rahh.
5. Ki-hhammydai schibteca umisch-hhanteca
   hemmah jenachamyni.
6. *Ve-hhattah* tahharoch lephanai schylchan
   lin-gid tsoreri.
7. Ki-maschachta baschemen *kodschecha*
   ros, cosi *tar-veh.*
8. Aph-tob*ah* vachesed jirdephuni
   col-jemei chaiji.
9. Ve-*ja*schabti *labetach* bebeith *jah*
   leorech jamim.»

Allato etiam ps. 95 iuxta recensionem Meibomii Ugolinus (Thes. XXXI, col. 1703) haec addit: «Haec Meibomii specimina nemini cordato se probare possunt, cum in iis licentia prorsus insana utatur auctor, qualisque in nullo scriptore edendo nedum sacro ferenda est . . . . . Haec vero reliquaque omnia, quae vir doctissimus exhibuit, artis suae metricae specimina, hoc unum abunde probant, de metrica Hebr. se nihil quicquam intellexisse.» — Cf. Ioh. Gabr. Drechssler, manuductio ad poeticam Hebraeam (Lips. 1762, 8), p. 9 et Saalschütz, Form und Geist der hebr. Poesie, p. 19.

§. 22. 3. Guil. Iones, in opere, cui titulus: Poeseos Asiaticae commentariorum libri sex cum appendice (Lipsiae 1777), p. 61—65 de metris carminum Hebraicorum obiter tantum agens; suffecit enim ei, «fontem aperuisse et novam rei metricae Hebraeorum investigandae viam quasi digito monstrasse». Fons ille lingua Arabica est; nam teste Ionesio «ea est *lingua Hebraicae cum Arabica cognatio,* ea poeseos utriusque gentis cum in imaginibus tum in figuris similitudo, ut nequeam mihi persuadere, quin metra etiam Hebraea fuerint Arabicis persimilia, *nisi quod Arabum versiculi similiter desinant, veterum Hebraeorum non item; et hi quidem in eodem poemate diversis carminum generibus usi fuisse videantur, quod Pindarum caeterosque Lyricos fecisse perspicuum est.*» Atqui si tanta et tam essentialis differentia inter carmina utriusque linguae est, merito concludit Hävernick (Einl. in das A. T., III, p. 64), mutatio pronuntiationis Masorethicae iuxta Arabicam non tantum fundamento caret, sed et inutilis est, cum etiam facta hac temeraria mutatione Ionesius ipse regulas poesis Hebraeae non ut certas, sed ut **probabiles** tantum proponere conetur. Syllabae clausae (secundum Ionesium) et continentes literas quiescentes (אוי) longae sunt, apertae et Ševâ breves. Quas regulas si (statuens syllabarum quantitatem) adhibueris, revera in plerisque versibus aliquod metrum Arabicum vel simile quid invenies. E. gr. Cant. 1, 4 Iones ita describit: «Sic elegantis huius distichi:

שחרה אני ונאוה בנות ירושלים
כאהלי קדר כיריעות שלמה:

‚Fusca sum, at formosa, Solymitides, — Tamquam tentoria Kedari, tamquam aulaea Salomonis,‘ primum versiculum ad speciem 2. pertinere arbitror, ut ⏑ – – – | – ⏑ – | – ⏑ – ⏑ | – ⏑ – Sehureh a | ni vana | uhbenut ye|rusalem; secundum vero ad 15 seu bacchiacam, ut ⏑ – – | ⏑ – ⏑ | ⏑ – – | ⏑ ⏑ – Caahli | kedarca | yeriut | Solomeh.» Metrum 2. Arabicum est اَلْمَدِيدُ ’al-madîd, i. e. extensum, Trochaeocreticum; constat ex Epitrito et Amphimacro sequente Epitrito, ut {⏓ ⏑ – – | ⏓ ⏑ – | ⏓ ⏑ – –. Metrum 15 seu bacchiacum est اَلْمُتَقَارِبُ al-mutaqârib, i. e. coniunctum, vel tetrametros vel trimetros versus bacchiacos habens {⏑ – – | ⏑ – – | ⏑ – – | ⏑ – – vel {⏑ – – | ⏑ – – | ⏑ – – secundum schemata Ionesii. Sed Meibomio multo modestior ipse fatetur: «*Nec vero affirmare audeo* — quo nihil arrogantius — *Hebraei carminis naturam,* quae ceteros latuit, *mihi soli innotescere.* Quid enim post inutiles tot doctissimorum hominum conatus, effecturum me confidam? aut cur me pervenire posse sperem ad illud litus, ubi tot scriptores admirabiles naufragium passi sunt? *Id solum innuere volui, cum linguae Hebraea atque Arabica sorores germanae sint, versimillimum esse,* eas, si quando iis poetice loqui contigerit, *iisdem numeris ac pedibus et iisdem fere metrorum generibus usas fuisse.*»

§. 23. 4. E. I. Greve, qui rei metricae Hebraeorum inveniendae multam operam dedit. Opera eius huc pertinentia sunt: Ultima capp. libri Iobi (nempe 38, 39, 40, 41 et pars 42[1]) ad Graecam versionem recensita notisque instructa. Pars I complectens capp. 38 et 39 (Daventriae 1788); Pars II compl. capp. 40, 1—42, 6; libellum de metris (Burgsteinf. 1791); Vaticinia Nahumi et Habacuci, ed. metr. (Amst. 1793); Vatt. Iesajae pars cont. carmina a cap. 40 ad 56, 9 Hebraica ad numeros recensuit vers. not. adiecit E. I. G. Acc. interpr. Belg. (Amst. 1810). Greve pronuntiationem verborum Hebraicorum Masorethicam reiciens *leges metricae Hebraicae statuit similes illis, quas Syrorum et Arabum poetae* in carminibus suis *sequuntur.* Sunt hae fere: 1. «Quae in vocalem nudam desinunt syllabae, breves sunt; longae contra, quae litera quiescente vel consona terminantur; 2. Ševâ mobile, sive simplex sive compositum est, vocalis loco existimandum; neque tamen τοῦ Pathach, quod furtivum dicitur, ratio ulla habenda; 3. quod ab Hebraeorum grammaticis statuitur longarum breviumque vocalium discrimen, nihili pendendum; omnes vocales breves sunt, nisi positione vel literis quiescentibus producantur; 4. omnes consonae, proinde et gutturales, exigentibus rationibus grammaticis Dageš forte admittunt.» Attamen has regulas nec Grevius ipse constanter observat; admittit potius innumeras mirasque exceptiones; e. gr. terminationes plurales ־ִים, ־ֵי, ־וֹת et singulares ־ָה et ־ַת ancipites declarat. Statuit tria carminum genera: Iambicum, Trochaicum, Anapaesticum, quae iuxta pedum unum versum constituentium numerum iterum in varias classes distribuuntur. Attamen Grevius poetis Hebraeis in adhibendis regulis metricis tot tantasque concedit licentias, ut e. gr. carminis anapaestici saepe totus versus ne unum quidem contineat Anapaestum. Sed et admissa tanta libertate Grevii leges metricae textui Hebraico non respondent nisi valde mutilato.

§. 24. Psalmus 65 teste Grevio tetrametris iambicis constans:

2 Lacha dum- | jah thahil- | lah el- | lohim | bizijon | valacha | joschul- | lam neder

3 Bijeru- | schalem | schami | thafil- | lah ade- | cha col | basar | jabo

4 Debare | avo- | noth gaba- | ru min | nu pisch- | enu | aththa thich- | porom

5 Aschara | thibchar | vathoka- | rib jisch- | con chaz- | recha nisch- | baah | bitob
Bajthocha | kadosch | hechalo- | cha 6 no- | ra bizidk | thanemi | elloh jisch- | inu
Moba- | tich col kaz- | ve arz | vajam | racho- | kim 7 mochin | harim | bicocho
Nisor | bigabu- | rah 8 masch- | bich scha- | on jam- | mim scha- | on gal- | lehomo
Jehmu- | na gojim | 9 vaji- | rau | joschibe | kazoth | mio- | thothicha.
Mozae | boker | vaereb | thoran- | nin 10 pakad- | tha arz | vathoschak- | kiha
Raboth | thoasch- | schiren- | nah pil- | lag el- | lohim | malo | majim
Thachin | daganam | khi khin | thakhi- | nah 11 thal- | meha | rovah | nachath
Gadu- | deha | biribi- | bim thomo- | gigen- | nah zim- | chah thib- | rachen
12 Atar- | tha schanath | tobatha- | cha vama | gale- | cha jora- | afun | deschen
13 Jora- | ifu | naoth | midbar | vigil | gebaoth | thachgor- | nah 14 lib-*(sic!)*
Baschu | carim ha | zon vaem- | kim ja- | tofu | bar jith | rau af | jaschjiru

Saalschütz, Von der Form der hebräischen Poesie, p. 36 sqq.

Non immerito Budde omnia systemata haec etiam cuilibet libro mere prosaico respondere advertit. Et tamen adhuc nuperrime (teste Rudolpho Cornely, Hist. et crit. introd. etc. II, 2, p. 18) A. F. Manoury (Lettre sur la versification hébraique, Bar-le-Duc 1880) systema metricum istorum simile adoptavit.

II. Systemata metrica syllabarum numeris innixa.

§. 25. Cum systemata supra allata syllabarum quantitati innitantur, alii viri eruditi quantitate hac plane neglecta systemata metrica invenerunt, existimantes, *leges metricas Hebraeorum e Syrorum poesi esse desumendas vel saltem legibus metricae Syriacae similes esse.*

Primus tale systema, iuxta quod syllabae numerandae sunt, F. Hare,[1]) ep. Cicestrensis, excogitavit et edidit in opere, quod inscribitur: «Psalmorum liber in versiculos metrice divisus et ope metrices multis in locis integritati suae restitutus» (Lond. 1736). Systematis eius, quod iam clarissimus Lowth refutavit, canones praecipui hi sunt: 1. In poesi Hebraica pedes sunt omnes dissyllabi; 2. quantitatis syllabarum nulla ratio habetur; 3. ubi *par* est syllabarum numerus, eius generis versiculi *trochaici* sunt, in prima syllaba acuendi; 4. si *impar* sit syllabarum numerus, pro *iambicis* censendi sunt et syllaba secunda est acuenda; 7. versus trochaici plerumque pedum numero conveniunt, sed saepe etiam discrepant; 8. versus iambici plerumque discrepant, sed saepe etiam conveniunt, cf. Lowth, De sacra poesi Hebraeorum, p. 471, n. 1 (ed. Ox. 1775). Secundum regulas istas etiam ן(!) acui potest, e. gr. ps. 111, 1 secundum Harium sic pronuntiatur: Odéh javóh becól lebáb — besód jesárim vé'edáh. Systema Harianum iam anno 1740 Christianus Weisse impugnavit, postea Lowth, cum Thom. Edwards id contra Lowthium defenderet. Merito Wenrich, l. c. p. 223 sq. de Harii systemate advertit: «Quas leges si quis perpenderit, quaerat necesse est, quibus argumentis evinci possit, omnes in Hebraeorum poesi pedes dissyllabos esse, cum tamen

---

[1]) Cf. Saalschütz, Von der Form der hebräischen Poesie, p. 19 sqq.; Ugolini, Thes., vol. XXXI, col. 1021 sqq.

non Graecorum tantum Romanorumque verum etiam Arabum carmina praeter dissyllabos et trium nec non quatuor syllabarum admittant? Quaerat porro, quo pacto de versibus trochaicis iambicisque in Hebraeorum carminibus sermo esse possit, si nulla quantitatis syllabarum ratio habenda sit? Neque liquet, quam propter causam versus illi, in quibus par syllabarum numerus, trochaici censendi, contra illi, quorum impares numero syllabae, iambicis adnumerandi sint. An ex natura versus trochaici iambicique lex illa petita? Minime; contra Graecorum Romanorumque versus trochaici catalectici sunt adeoque impari syllabarum numero gaudent; iambici vero ut plurimum acatalectici, pari igitur syllabarum numero constituti; quae res Harii praeceptis metricis plane adversatur.»

§. 26. Exemplum prosodiae Harianae ponatur ps. 111, quem ipse tamquam normam exhibentem systemati suo praemittit:

«Ódeh jáhvoh bécol lébab
bésod jésarím veʿédah.

gedólim máʿse jáhvoh
derúsim lécol hópezéhem.

hod véhadár poʿálo
vezídkató ʿomédet láʿad.

zecér ʿasáh lenípleótav;
hannún veráhum jáhvóh.

terép natán liréav;
jizcór leʿólam bríto.

«cóh maʿsáv higgíd leʿámmo,
látet láhem náhlat góim

maʿsé jadáv emét umíspat
nemánim cól pikkúdav;

«sémucím laʿád leʿólam,
ʿásuím b'emét vejásar.

pedút saláh leʿámmo,
zivváh leʿólam bríto;
kadós venóra sémo.

«résit hócmah jírat jáhvoh
sécel tób lecól ʿoséhem;
téhilláto ʿómedt láʿad.»

Animadvertendum est, Harium systema suum in universis psalmis ad usum transtulisse.

§. 27. Saeculo nostro simile quid de libro Iob statuit A. Merx in libello, qui inscribitur: Das Gedicht Hiob, hebräischer Text, kritisch bearbeitet und übersetzt, nebst sachlicher und kritischer Einleitung (Jena 1871). Contendit enim, versibus vel στίχοις aequalem numerum syllabarum esse debere, saltem versibus sibi invicem respondentibus stropharum continuarum; quando versus numero syllabarum pares non sunt, Merx pronuntiationem primam non rite traditam esse putat. Ita ei probatur sententia, veram poesis Hebraicae legem numero syllabarum singulorum stichorum inniti; provocat ad Syros et populos Romanos nostri temporis, qui in poesi syllabas numerant, quantitatem vel accentus syllabarum omnino negligentes.

§. 28. Cum nullus fere eorum, quos nominavimus, virorum eruditorum haberet, qui cum ipso sentirent, nuperrime clarissimus professor Dr. Gust. Bickell, linguae Syriacae teste D. Ephraemo Rahmani, ex archiep. Alepp. Syrorum cath. Patriarcha facto, omnium occidentalium gnarissimus, quod ad rem metricam Hebraeorum attinet multos invenit discipulos eosque doctissimos. Hic vir eruditissimus plurimum operae ad systema metricum poesis Hebraicae statuendum contulit; quo spectant scripta et tractatus eius: «Metrices biblicae regulae exemplis illustratae» (Oeniponte 1882); «Supplementum ad Metr. bibl.» etc. (ibid.); Zeitschrift der Deutschen morgenländischen Gesellschaft XXXIII, p. 701—706; XXXIV,

558—563; XXXV, 415—422; «Carmina V. T. metrice. Notas crit. et dissert. de re metrica Hebr. adiecit G. B.» (Oenip. 1882); «Dichtungen der Hebräer, zum erstenmal nach dem Versmaasse der Urtexte(?) übersetzt» (ibid.); «Kritische Bearbeitung der Proverbien mit einem Anhange über die Strophik des Ecclesiasticus» (Wiener Zeitschrift für die Kunde des Morgenlandes V, p. 79 sqq., 191 sqq., 271 sqq.) et alia. *Ponit* professor Bickell, Hebraeos iisdem *fere* legibus metricis usos esse ac Syros, quare in appendice libelli, qui «Carmina V. T. etc.» inscribitur, de Syrorum legibus metricis agit. «*Syllabas,* inquit, *versuum sive stichorum non ponderant Syri, sed numerant* eosque vel identicos vel diversos in strophas coniungunt aequaliter recurrentes . . . Quoad numerationem syllabarum notandum est, vocalem initialem supprimi posse et semivocales regulariter pro syllaba non computari salvis exceptionibus(!) . . .» Quae exceptiones auctori nostro viam straverunt ad inveniendum accentum Syrorum metricum, itaque invenit, «**accentum in syllaba paenultima stichi residere,** ita ut *versus pari syllabarum numero constantes,* tetrasyllabi et hexasyllabi, *sint trochaici, alii iambici;* schemata strophica mixta rhythmum potioris partis sequuntur» (p. 219, 220). «Accentus metricus apud Hebraeos, ut apud Syros et Byzantinos cum grammatico coincidit. *Sed apud solos Hebraeos Syrosque syllabae acutae cum aliis semper ita alternant, ut nulli sint pedes rhythmici praeter iambos et trochaeos tonicos.* Cum ultima syllaba stichi accentu careat, illi versus, qui parem syllabarum numerum (4, 6, 8, 10, 12) habent, rhythmo trochaico fluunt, alii (5, 7) iambico. Excipiuntur(!) stichi tetrasyllabi, si cum heptasyllabis (in schematibus 7, 4 | 7, 4 et 7, 7, 7 | 7, 4) coniuncti eorum rhythmo iambico assimilantur et accentum in ultima syllaba admittunt (p. 228).» «Stichi iambici, ut iam dictum est, vel pentasyllabi vel heptasyllabi sunt; trochaici sex, octo vel duodecim syllabas habere possunt. Inveniuntur etiam stichi quatuor et decem syllabarum, sed tantum in strophis mixtis cum aliis coniuncti. Per se trochaici sunt; sed tetrasyllabi, si heptasyllabis iunguntur, ab iis rhythmum iambicum mutuo sumunt, ne in eadem stropha duo rhythmi contrarii collidant. Lex, secundum quam stichi cum incisis sententiarum coincidunt, apud Hebraeos stricte observatur. Rarissime tantum (sexies) voces quoad sensum sticho praecedenti tribuendae ad stichum parallelum sequentem pertinent(!); aliquando saepius (22 vel 23 locis!) anomalia contraria invenitur.» Anomaliae prioris exemplum sit psalm. 68, 33:

Mámlekhót haáreç ši'ru(!)
L- Élohi'm, zamm'rú Adónaj; posterioris ps. 68, 19b. c:
Jáh, šabi'ta š'bi', laqáchta(!)
Máttanót b'adám v'af sór'rim.

§. 29. Quod clarissimi viri systema eo non parum commendatur, quod ab auctore non uno tantum vel pluribus exemplis illustratum est, sed ad omnia carmina omnesque libros V^is T^i poeticos adhibitum. Sed merito Cornely, l. c., p. 15 sq., advertit: «Atque, si solam versuum distinctionem consideramus, fateri cogimur, satis multa carmina, immo integros fere Proverbiorum et Iobi libros, in trochaicos illos vel iambicos versus apte distingui, **dummodo leges admittantur,** *secundum quas syllabae non paucae aut eiciendae aut inserendae aut tono instruendae aut tono privandae statuuntur atque unum idemque vocabulum pro loco, quem in versu occupat, diverso accentu et tono instrui dicitur. Nihilominus non paucae remanent difficultates,* quibus novam hanc metricam approbare prohibemur. Illud quidem urgere nolumus, quod olim contra haud dissimile Harii systema

disputavit Lowth (vituperavit «licentiam, quam sibi prolixe indulget Harius, ut unam eandemque vocem nunc trochaeum nunc iambum nunc dissyllabam nunc trisyllabam faciat», l. c. p. 474), omnes sc. regulas *petitioni principii* inniti (quod iam Lowth contra Harium advertit, l. c. p. 473, n. 2, et quod etiam de aliis systematibus valet uti de Gomariano, Greviano etc.), siquidem systema verum supponatur, ut ex illo regulae deriventur, quibus verum esse demonstretur; at de legibus ipsis ac praeprimis de earum fundamento dubitamus. *Secundum accentum pedes versuum distingui dicuntur accentusque rhythmicus omnino sequi accentum grammaticum asseritur;* ***sed re et veritate accentus metricus pro libitu poni videtur.***» Quantam vim professor Bickell pronuntiationi Hebraicae a Masorethis traditae[1]) et accentui grammatico inferat, iam ex eo elucet, quod vocem יהוה mox Iahvé (◡ _́) mox Iáhve (_́ ◡) mox Iah (◡) mox Iáh (_́) pronuntiat; vocem אלהים mox elóhim (◡ _́ ◡) mox élohím (_́ ◡ _́) mox 'lohím (◡ _́) mox lóhim (_ ◡); אדני ádonáj (_́ ◡ _́) vel adónaj (◡ _́ ◡) vel 'dónaj (_́ ◡) vel 'donáj (◡ _́); אמת eméth (◡ _́) vel émeth (_ ◡) vel 'meth (◡); קומה mox qûmah, mox qûmáh vel qemáh(!); אשה modo iššáh, modo íššah, modo 'ssáh(!).

§. 30. Iisdem principiis innitur systema P. Gerardi Gietmann, S. I. Hic finem libelli sui, qui inscribitur «De re metrica Hebraeorum» (Frib. Brisg. 1880), hunc statuit (praef.): «Quam Dr. G. Bickell, vir doctrinae laude apud omnes clarissimus, nuper invenit metrorum Hebraicorum descriptionem, eam nos novam ingressi viam explicandam suscipimus. Rem timidi aggredimur, qui *a tanti viri auctoritate nonnullis in rebus declinaturi simus;* sed quoniam de re dubia in utramque partem disputari plerumque expedit, ita nostra proponemus, ut tamen, cuius ingenio atque acumini totius huius investigationis ratio debeatur, probe meminerimus. Ne refutare quidem illum in animo est, sed verum, ut dixi, alia via quaerimus.» Bene dein de poesi Hebraica in genere et testimoniis antiquorum scriptorum ita loquitur: «Non carere certis versuum legibus poesim Hebraeorum, ex antiquitate traditum est. Ad nostra tempora quaedam cantica (Ex. 15, Deut. 32, Iud. 5, 2 Sam. 22; in nota: plura in MSS. antiquissimis) incisis singulis sive versiculis recte fere distincta pervenerunt, et tres libri poetici diverso accentuum genere notantur. E scriptoribus ecclesiasticis S. Hieronymus, esse metra in carminibus sacris, auctoritate veterum confirmat; cuiusmodi essent, non certa scientia, sed ***ad aliquam similitudinem*** *Graecorum Latinorumque versuum iudicavit* (V. praef. ad interpret. Chron. Euseb.). Iosephus autem Flavius cantica Ex. 15 et Deut. 32 hexametra, Davidis hymnos posteriores partim trimetros partim pentametros (rectius: trimetros et pentametros) esse scripsit (Antiq. II, 16, 4; IV, 8, 44; VII, 12, 3); id utrum acceptum a maioribus retulerit an ipse intellexerit, in tanta verborum obscuritate non audeo dicere. Quamquam non pauca indicia sunt, ab interpretibus Graecis metrum ignoratum esse (cf. quae supra de hac re diximus; Origenes certe non ignoravit). Ceterum gens cognata Syrorum, ut certo novimus, suis metris ac versibus usa est; quibus Hebraica

---

[1]) Pronuntiationem Masorethicam iam Richardus Simon (Hist. crit. du V. T. lib. I, cap. 27, p. 148) defendit: «On doit, inquit, cependant observer, que bien que les hommes soient les auteurs des points qui servent maintenant de voyelles au Texte de l'Écriture, la lecture de ce Texte, n'a pas pour cela dépendu entièrement d'eux; parce qu'ils ont seulement limité par le moyen de ces points, la lecture qui étoit déjà reçûe et autorisée par l'usage . . . L'usage regloit alors ce que les points ont entièrement fixé; Les Docteurs Juifs, qu'on croit ordinairement être ceux de l'École de Tiberiade, ne firent donc autre chose en inventant des points, que *d'arrêter cette ancienne tradition.*» Cf. Gesenius, Geschichte der hebräischen Sprache und Schrift, p. 207. Similiter etiam Cramer pronuntiationem Masoretharum defendit, Poetische, Uebersetzung der Psalmen mit Abhandlungen über dieselben, parte I (Lips. 1763, ed. II).

similia fuisse, quum Card. Pitra aliquot ante annis coniectura assecutus esset, Bickell primus perspexit ac demonstravit (? vide supra dicta). Ea igitur imprimis similitudine utriusque gentis metrica coniuncta est, quod *versus accentu seu ictu vocis, non quantitate seu mensura reguntur, ita quidem, ut constanter alternae syllabae efferantur ac deprimantur. Ita metra vel iambica vel trochaica non qualitate, sed pondere syllabarum metienda constituuntur. Accentus autem Hebraicus duplex est: alter primarius, qui est Masoretharum, extremae ferme syllabae annexus; alter secundarius, cuius certum indicium est incrementum (guna) vocalium syllabarum apertarum accentum primarium proxime praecedentium;* quae enim alia huius linguae Hebraicae proprietatis ratio excogitari potest? Lege igitur versuum *alterutra harum syllabarum ictu premi, neutra corripi vel omitti potest.* Porro eae syllabae apertae, quae, quia neutri subsunt accentui, vocali plena carent et schva notantur, in versu, ut earum natura fert, vel omnino praetermittuntur vel ita computantur, ut tamen ictum non recipiant(!). *Aliae sunt, quae, etsi accentu careant, corripi non possint,* quum aut clausae sint aut syllabam correptam proxime antecedant aut vocalem immutabilem habeant aut extremae sint, velut: hitqattel, dibere, Ierušalem, qatalta; *monosyllaba* quoque saepe accentu carent, ut ki, ål; de his mox videro; sunt autem *natura sua syllabae ancipites et incertae.*

Atque hac quidem generatim lege proposita iam quaedam singulatim praecepta de re metrica Hebraeorum dabimus, si prius consilium nostrum manifestaverimus. Tria potissimum efficere studuimus: *ne syllabae correptae s. schevatae ictu premerentur; ne paenultimarum vocales ob accentum secundarium adauctae corriperentur; ne emendationes scripturae traditae nimis frequentes essent.* Praeterea aphaeresim litterae Aleph ab initio vocabulorum vitavimus (Prof. Bickell Prov. 31, 30 vocem אִשָּׁה 'šša pronuntiat!), î coniug. Hiph. retinuimus, formas pausales servavimus. ***In his enim omnibus rebus principi huius doctrinae metricae et inventori assentiri non potuimus.***» In nota 2 Gietmann lectorem revocat ad Bickell, Metrices bibl. etc., p. 4, 5 et in supplem. p. 74 (recte 72): «Imprimis, ait, in *tanta* semivocalium Hebraicarum *multitudine* incredibile mihi videtur, eas accentum admisisse; *nisi enim id saltem ad certa* ***quaedam genera revocetur, fient omnia incerta;*** satis est profecto, eas posse vel computari vel omitti, praesertim si *reliquam* versus Hebraici varietatem (in accentu maxime) consideres.» Quae omnia attulimus, quia inde elucet, Gietmannum vitia systematis Bickelliani minime latuisse, attamen hunc virum doctum ea non emendasse, sed ad summum minuisse. Nam omnia, quae de professoris Bickell metrica diximus, etiam de Gietmanni metrica valent. Cuius rei ipse sibi conscius fatetur (l. c. p. 3): «Substituimus aliquam pronuntiandi scribendique varietatem, quam ab antiquis usurpatam esse nobis videtur probabilius. ***Nec tamen omnia, quae posituri sumus, pro certis habemus.***» Hi viri doctissimi minime perpenderunt differentiam essentialem inter vocalisationem Hebraicam et Syriacam; lingua enim Hebraica, ut Gietmann ipse fatetur, vocalibus locupletissima est, cum Syriaca ad dialectos Aramaicas pertineat, quarum omnium prae ceteris dialectis Semiticis proprium est vocales supprimere (cf. Dörwald, Die Formenbildungsgesetze des Hebräischen, p. 4). Sicut ergo e propinquitate linguarum Romanarum et linguae Latinae falso concluderetur, leges metricas priorum similiter syllabarum quantitati inniti ac linguae Latinae, ita e similitudine linguae Hebraicae et Syriacae eo minus concludi potest, Hebraeos iisdem legibus metricis usos esse ac Syros, cum lingua Syriaca mille fere annis serius floruerit quam Hebraica, et quidem tempore, quo Hebraica lingua fere iam mortua erat.

§. 31. Systema Bickellianum, quod Raffl (Die Psalmen, nach dem Urtexte übersetzt und erklärt, III, Friburgi Brisgoviae 1892) in versione sua germanica eaque metrica supponit, secutus est etiam Dr. A. Rohling in describendis Proverbiis (Das Salomonische Spruchbuch, übersetzt und erklärt von Dr. Aug. R. Mogunt. 1879), quem Gietmannus, p. 3 laudat, quod locos aliquanto amplius centum correxerit, p. 65 tamen vituperat, «quod nimis frequenti usus sit emendatione et ultra quam Bickell progressus . . . syllabis extremis atonis ictum versus tribuat, paenultimas longas durius corripiat, Patach furtivum interdum pro syllaba computet, «ut ipse, inquit, Bickell, doctor meus carissimus, ad me (i. e. P. Gietmannum) perscripserit, se locis plus 350 ab illo dissentire.» Quantum magister et discipuli inter se discrepent, in mutando tamen textu masorethico (vel mutanda pronuntiatione masorethica) concordent, intelligi potest ex his exemplis:

Ps. 134.

secundum Bickell:	secundum Gietmann:
Schema: 7. 5 | 7. 5. | 7. 5. | 7.5	Schema 7. 7. 7 | 7. 7: | 7. 7
1. Hinné, bar'khú et Jáhvä, Kol ăb'de Ja'hvä; Š' ʿom'dím b'bet Jáh, *bach'çérot, *Bet Élohénu!	1. Hinne bar'ku et Jahvä — kol ʿab'de Jah, haʿom'dim bebet Jahvä ballelot.
2. Ballélot | σ'ú j'dekhém qodš V'bar'khu et Ja'hvä!	2. se'n jedekem qodeš — ubareku et Jahvä.
3. J'barékh'kha Jáh miç-Çíjjon, ʿOσé šamájm v'arç!	3. j'barek'ka Jahvä mĭ-Çijjon — ʿose šamaim va'areç.

Prov. 31, 30. 31.

secundum Bickell:	secundum Rohling:
Šaqr háchen v'hábl hajjófi, -Šša jír'at Jáh, hi' †t'húllal. T'nu láh mipp'rí jadáha; I'hal'lúha báššeʿárim!	šaqr háhēn v'háβl hajjốφî 'ššā jír'aϑ Jā́h ϑiϑhállāl. t'nû lā́h mipprî jāδā́hā j'hal'lûhā β' šáʿr maʿsā́ hā.

§. 32. Praeter Gietmannum et Rohling etiam H. Lesètre (Le Livre des Psaumes, Paris 1883, p. XXIII sqq.), I. Knabenbauer, S. I. (Comm. in l. Iob, Paris. 1885, p. 18), F. Vigouroux, Manuel biblique, ed. 8me, revue et augm. II, p. 203), Ren. Flament, Les Psaumes traduits en français sur le text hébreu (2. ed. Lutetiae Parisiorum 1898), systema Bickellianum adoptarunt. Teste Vigouroux etiam Le Hir (in tractatu Le Rhythme chez les Hébreux, Le Livre de Job, p. 183—215) metricam Hebraeorum syllabarum numero regi defendit (Vigouroux, Man. bibl. II, p. 204, n. 2). Ceterum notatu dignum est, etiam Buxtorfium maiorem († 1629) *cum* R. Moše Šem Tob *aliisque Iudaeis* in carminibus Hebraeis syllabas numerasse[1]) (Tract. de prosodia metrica, Thesaurus grammaticus ling. st. p. 628 sqq.); idem valet de Laurent. Fabricio (Metr. Hebr. 1623, Viteb., p. 25 sqq.). Porro advertendum est, nec Syriacam metricam solum syllabarum numero regi, quod in linguis Romanis, e. gr. Gallica, obtinet, sed simul et accentibus, sicut Bickell et Gietmann concedunt. Cf. Schlottmann, Zur semitischen Epigraphik, ZDMG. XXXIII, p. 284.

---

[1]) Vide infra § 47.

III. Systemata metrica solis accentibus innixa.

§. 33. Alii viri eruditi leges metricas Hebraeorum ab accentibus pendere contenderunt, e quibus pariter unus alterve systema suum ad omnes fere libros poeticos adhibuit itaque id poesi Hebraicae convenire multis aliis persuasit. Nominandi sunt:

1. C. G. Anton, qui de re metrica Hebraeorum multa scripsit: «Coniectura de metro Hebr., psalm. exemplis illustr.» (Lips. 1770); «Vindiciae disput. de metr. Hebr.» (Lips. 1771); «Editionis, in qua Pss. ad metrum revocabuntur etc., specimen» (Viteb. 1780); «Salomonis carmen melicum, quod Cant. Canticorum vocatur» etc. (Viteb. 1800). Contendit Anton, metrum Hebraicum tam a Graecis quam ab Arabicis metris differre et *a solis accentibus pendere*, ita ut nonnisi Iambi et Anapaesti inveniantur. Sed lex II iam statuit, vocabulum trium syllabarum non necessario anapaestum efficere, sed eius primam pedi proximo sustinendo inservire posse. Leges metricae Antonii iam, si leguntur, mirae videntur, eo magis, si adhibentur; e. gr. Ps. 111, 3a הוֹד וְ tamquam Iambus pronuntiatur: ◡ ⏑́ (!).

Exemplum Prosodiae Antonianae proferatur p. 9, 16—21:

«Stropha.

16 Thabheu | gojim | bescha | chath asu
Bere | scheth su tha | manu nil | kedah rag | lam.

Systema.

17 Noda | jehovah | mischpath | asah
Bepo | al cappav | nokesch rasha.
Higgajon Selah.

Epodos.

18 Jaschu | bhu re | schaim | lischo | lah
Col gojim | schecheche | elo | him
19 Ki lo | lane | zach jis | schachach ebh | jon
Tikvath | anijim | tobhad la | ad.

Antistropha.

20 Kumah | jehovah | al jaos | Enosch
Jisscha | phethu | gojim | al pane | cha.

Systema.

21 Schithah | jehovah | morah la | hem
Jedeu | gojim | enosch hem | mah.»

Cf. Saalschütz, Von der Form der hebräischen Poesie, p. 25 sqq.

§. 34. 2. I. I. Bellermann (Versuch über die Metrik der Hebräer, Berol. 1813), cuius metrica Hebraica systemati Danziano, trium morarum quod dicunt,[1]) innititur, de quo cf. Wenrich, l. c. p. 218, n. 100. Secundum Bellermannum omnis syllaba ictu pressa longa

---

[1]) Ita vocatur, quia iuxta hoc systema omnes syllabae eiusdem quantitatis, nempe trium morarum, esse debent.

est, omnis syllaba accentu carens brevis habetur. Quam regulam adhibens B. in versibus Hebraicis varios pedes invenit binarum vel trinarum vel quarternarum syllabarum. In quolibet versu unum pedem praevalere dicit, a quo versus nominandus sit. Pedes usitatos esse Iambum et Anapaestum alternantes cum Trochaeo et Tribrachi. Unde versus saepe «polyschematicos» fieri concedit. Praeterea poetis Hebraeis tot tantasque licentias concedit, ut metra eius iam non sint metra, i. e. certae mensurae.[1]) Ceterum systema Bellermanni sicut Bickellianum principii petitioni innititur (cf. Hävernick, l. c., p. 66 sq.). Exemplum metricae eius sit ps. 111, 1—3:

1. Odeh | Jovah | b'col-lebab
Bsod | jšarim | vedah.
2. Gdolim | mase | Jovah
Drušim | l'col-chef- | zehem.
3. Hod | v'hadar | polo
V'zidkatho | omae- | deth laad.

Sed Bellermanni leges metricae prosae quoque orationi conveniunt. Cf. Saalschütz, Von der Form der hebräischen Poesie, p. 52 sqq.

§. 35. 3. I. L. Saalschütz, cuius theoriam Budde novissimam vere metricam vocat (Ueber vermeintliche metrische Formen in der hebräischen Poesie, Stud. und Krit. 1874, p. 747 ff.). Edidit duos libellos, qui inscribuntur: «Von der Form der hebräischen Poesie, nebst einer Abhandlung über die Musik der Hebräer» (Königsberg 1825) et «Form und Geist der biblischen hebräischen Poesie» (ibidem 1853). S. contra Leutwein et Bellermann vim accentuum Masorethicorum agnoscit, negat tamen, iis pronuntiationem verborum unum versum constituentium regi. Ex analogia dialectorum cognatarum, praesertim linguae Syriacae, et ex pronuntiatione Hebraica apud Iudaeos Poloniae usitata concludit, semper paenultimam ictu premi. Cum ergo Bellermanni Iambi et Anapaesti saepe rhythmo opposito Trochaeorum turbentur, Saalschütz in pronuntiandis versibus Hebraicis iuxta analogiam prosodiae Graecae ab accentibus recedendum esse putans rhythmum spondaicum et dactylicum statuit (Form und Geist etc., p. 22 sqq). Teste S. pedes usitati sunt: Dactylus, Spondaeus, Trochaeus et Paeon primus, prout inter duas sublationes[2]) (ἄρσεις) una vel duae vel tres positiones (θέσεις) inveniuntur. Ita hexametri, sed valde liberi, inveniuntur. E. gr. Deut. 32, 5, 6:

5. Schi'cheth | lólo | bánav | múmam dor | i'qqesch u- | phthálthol
6. hála- | dónai | thi'gm'lu | sótham | nábal v'lo | chácham
k'lóhu a- | bi'cha qa- | nécha hu | ás'cha | váj'chon- | nécha.

Quas leges adhibens S. etiam demonstrare conatur, eas cum eloquiis scriptorum antiquorum congruere, licet p. 22 (l. c.) recte adverterit, omne metrum, ut sit, quod vocetur, non tantum cum antiquorum eloquiis congruere, sed etiam ab omni arbitrio, quod ad pronuntiationem *et accentuationem* attineat, liberum esse debere. Unde merito Budde hoc quoque systema

---

[1]) Cf. De Wette, Comm. zu den Psalmen, p. 51.
[2]) Quintilian. IX, 4, 48.

ad orationem prosam adhiberi posse dicit non minus quam ad poeticam. Cf. etiam A. G. Hoffmann, Allgemeine Encyclopädie der Wissenschaften und Künste, sect. II, vol. 3, p. 352.

§. 36. 4. E. Meier, qui non tantum systema suum in lucem edidit (Die Form der hebräischen Poesie nachgewiesen. Tubing. 1853), sed etiam ad libros poeticos V^{is} T^{i} adhibuit: «Das Hohelied in deutscher Uebersetzung, Erklärung und krit. Textausgabe» (Tubing. 1854); «Die poetischen Bücher des A. T. übersetzt und erläutert» (Stuttg. 1854); «Uebersetzung und Erklärung des Debora-Liedes» (Tubing. 1859). Cf. etiam «Geschichte der poetischen Nationalliteratur der Hebräer» (Lips. 1856). Meier textum librorum poeticorum in breves versiculos dividit, quorum quisque binas ἄρσεις (sublationes) continet. Sublationes (ἄρσεις) has tot positiones (θέσεις) vel syllabae accentu carentes praecedere et sequi possunt, quot tempore determinato («*während der angegebenen Zeitdauer*») pronuntiari queunt. Schemata principaliora sunt: ⏑ –́ ⏑ –̀; –́ ⏑ ⏑ –̀; ⏑ ⏑ –́ –̀; –́ ⏑ –̀; ⏑ –́ –̀; vel etiam –́ –̀(!). Numerorum ergo moderationem semper eandem esse dicit (♩♩). Ita saepe unicum verbum versum(!) efficere potest. Sed nemo non intelligit, versiculos Meieri non esse nisi *versuum commata.* Accentus Masorethicos admittit quidem, ast non tantum accentus primarios, sed etiam secundarios adhibet. Exemplum sit Num. 21, 17—18:

'Alí bëèr	⏑ – ⏑ –
enú-làh	⏑ – –
bëér chafarùha	⏑ – ⏑ ⏑ – ⏑
sárìm	– –
kárùha	⏑ – –
nedibé haàm	⏑ ⏑ – ⏑ –
bímechoqèq	– ⏑ ⏑ –
bemíschanotàm.	⏑ – ⏑ ⏑ –

(Die Form der hebräischen Poesie nachgewiesen, p. 24 sqq.).

§. 37. 5. A. Peters, qui in adhibendo accentu verbali et statuendo accentuum unius versus numero maximam libertatem poetis concedit (Psalmen in der Urgestalt, ZDMG 1857, p. 533 sqq.). Similiter Briggs (Biblical Study, p. 279 sqq., Hebraica, 1887, p. 161 sqq., 1888, p. 201 sqq., cf. Brown, Journal of bibl. Lit., 1890, p. 71 sqq.) non de vero metro loquitur, sed de rhythmo accentibus innixo ita, ut ἄρσεων numerus in singulis versibus non semper idem sit.

§. 38. Prof. Dr. Julius Ley, omnium, qui metricam Hebraeorum tantum ab accentibus pendere contendunt, princeps. Qui vir doctissimus multa de hac re scripsit: «Die metrischen Formen der hebräischen Poesie» (Lips. 1866); «Ueber die Alliteration im Hebräischen» (ZDMG. XX, p. 180—184); «Ueber Rhythmus und Strophenbau der hebräischen Poesie» (Jahrb. für Philol. und Pädagogik, 1871—1872); «Grundzüge des Rhythmus, des Vers- und Strophenbaues in der hebräischen Poesie» (Halae 1875; de quo libello cf. L. Riehm, Stud. und Krit. 1877, p. 573—577 et C. Budde, Ueber vermeintliche metrische Formen etc., Stud. und Krit. 1874, p. 747 sqq.). Systema suum mutatum et emendatum edidit libello, qui inscribitur: «Leitfaden der Metrik der hebräischen Poesie nebst dem 1. Buche der Psalmen nach rhythmischer Vers- und Strophenabtheilung mit metrischer Analyse», Halae 1887; de hoc libello vide Budde, Theologische Literaturzeitung, 1888, col. 3 sqq. Denique Ley tractatum scripsit: «Die metrische Beschaffenheit des Buches Hiob, eine Studie» (Theol. Stud. und Krit. 1895, p. 635 sqq.). Rhythmus secundum Ley accentibus regitur, sicut in lingua Germanica; quod iam Saalschütz et Peters posuerunt. Differt autem accentuatio

Hebraica a Germanica eo, quod illa finem versus gradatim ascendit, haec autem (praesertim linguae priscae et mediae Germaniae superioris) descendit. Signa accentuum Masorethica etiam prosodiae serviunt, sed tantum ad determinandas sublationes (ἄρσεις) et caesuras («Versabschnitte»). Nam licet accentuatio Masorethica saeculo X. post Chr. n. demum absoluta sit, tamen non multum differre potest ab ea, quae viguit, cum lingua Hebraica adhuc viva esset, id quod omnes fere viri docti concedunt (cf. tamen Cornely, l. c. p. 19, n. 14; Wenrich, l. c. p. 218, n. 100 et alios). Omne verbum continet accentum acutum («*Hochton*»), accentu Masorethico indicatum, cui syllabae accentu carentes praecedentes subiectae sunt. Syllaba accentu Masorethico signata ergo nec quantitatis nec qualitatis ullo respectu habito ictu premenda est. Sed in verbis longioribus etiam accentus gravis («*Tiefton*») accentum metricum accipere debet, qua in re Ley varios poetas non semper aequaliter constanterque agere dicit («Leitfaden» etc., p. 4, n. 2). Praefixa, particulae monosyllabae, status constructi etc. accentu destitui possunt. Syllabam acutam plures accentu carentes praecedere, sed singulae tantum sequi possunt, cum quibus «*metrum*» unum vel potius pedem constituit. Numeri syllabarum accentu carentium nihil interest, ita ut sola voce acuta metrum effici possit. Secundum metrorum numerum versus possunt esse *octametri, hexametri, decametri, pentametri.* Plerumque versus caesura primaria in binas partes aequales dividuntur. Ubi parallelismus deest, caesura metro efficitur, e. gr. in Ps. 48 pentametro: v. 4: אלהים בארמנותיה | נודע למשגב. Praeter caesuram primariam inveniuntur et secundariae, ita ut versus supra dicti vario modo in membra vel στίχους dividantur, octameter in 4+4 vel 3+2+3, 3+3+2, 2+3+3; hexameter in 3+3 vel 2+2+2, raro 4+2; decameter in 5+5 vel 3+4+3, 4+2+4 vel alio modo, raro autem 2+2+2+2+2; pentameter in 3+2 vel 2+3. Leges «*compensationis*» et «*substitutionis*», quas Budde et Riehm maxime meritoque impugnarunt, Ley libello «Leitfaden etc.» abiecit. Lege *compensationis* versus unus una vel duabus sublationibus plus habere poterat quam versus alter sive praecedens sive sequens, sicut Odyss. I, 1:

Ἄνδρα μοι ἔννεπε, μοῦσα, πολύτροπον, ὃς μάλα πολλὰ
πλάγχθη, ἐπεὶ Τροίης ἱερὸν πτολίεθρον ἔπερσεν,

et Il. I, 1:

Μῆνιν ἄειδε, θεά, Πηληιάδεω Ἀχιλῆος
οὐλομένην, ἣ μυρί᾽ Ἀχαιοῖς ἄλγε᾽ ἔθηκεν,

verba πλάγχθη et οὐλομένην quoad sensum ad versum primum, quoad metrum ad versum secundum pertinent. Bene advertit Riehm (Stud. und Krit. 1877, p. 248), talem legem metricam nonnisi in lingua valere posse, in qua rhythmus metricus syllabarum quantitati innixus ita sit forma propria et essentialis poeseos, ut rhythmo sententiarum omnino praevaleat. Lege *substitutionis* loco versuum unius metri tot versus alterius metri substitui possunt, quot totidem sublationes continent. E. gr. loco duorum versuum octametrorum aut decameter et hexameter aut tres pentametri (catalectici) vel loco trium octametrorum quatuor hexametri substitui possunt. Licet autem Ley has duas leges abiecerit et systema suum emendaverit, tamen adhuc easdem voces mox ictu premit mox accentu destituit idque pro libitu, ut adhuc valeant, quae Budde (Stud. und Krit. 1874, p. 760) de hac re dixit: «Diese Licenzen[1]) hat denn auch Ley in ihrem ganzen Umfange sich zunutze gemacht, *ja er dürfte die Grenzen des Erlaubten schon überschritten haben.* Denn schwer-

[1]) Ley, Leitfaden, p. 2—8; cf. Theologische Literaturzeitung, 1888, col. 3sqq., ubi Budde de libello isto iudicium facit.

lich wird es sich rechtfertigen lassen, wenn er es nur von dem Bedürfnisse des von ihm behaupteten Metrums abhängen lässt, ob er demselben Worte zwei Hebungen oder nur eine zuerkennt, oder wenn er wieder nur seinem Vers zuliebe die eine Partikel tonlos sein lässt — vielleicht eine Negation, auf der der volle Ton des Satzes ruht —, ein andermal eine Präposition, die mit dem folgenden Substantiv einen einzigen Begriff ausmacht, ein selbständiges Metrum bilden lässt.» Optime systema Iulii Ley descripsit Riehm (Stud. und Krit. 1877, p. 573 sqq.).

§. 39. Exempli causa afferatur psalmus 14 (cf. hunc psalmum secundum schema nostrum):

1 אמר נבל בלבו אין אלהים השחיתו התעיבו עלילה אין־עשה טוב׃
2 יהוה משמים השקיף על־בני אדם לראות היש משכיל דרש את־אלהים׃
3 הכל סר יחדו נאלחו אין־עשה טוב אין גם־אחד׃
4 הלא ידעו | כל־פעלי און | אכלי עמי | כאכלי לחם | יהוה לא־קראו׃
5, 6 שם־פחדו פחד כי־אלהים בדור צדיק | עצת עני תבישו כי־יהוה מחסהו׃
7 מי־יתן מציון ישועת ישראל בשוב יהוה שבות עמו
יגל יעקב ישמח ישראל׃

Ad hunc psalmum Ley (Leitfaden der Metrik der hebräischen Poesie, p. 38 sq.) advertit: «Der Psalm besteht aus zwei Strophen von je zwei Dekametern und einem Oktameter, der am Schlusse der zweiten Strophe um eine Halbzeile verlängert ist.

Str. 1, V. 1—3, V. 1 und 2 Dekameter, V. 3 Oktameter als Schlussbasis: Klage über die allgemeine Gottlosigkeit der Menschen.

Str. 2, V. 4—7. V. 4 ein Dekameter, V. 5—6 ein Dekameter, V. 7 ein verlängerter Oktameter als Schlussbasis. In V. 4 hat die griechische Uebersetzung: κατεσθίοντες τὸν λαόν μου ἐν βρόσει ἄρτου, sie hat also ein ב vor אֹכְלֵי gelesen statt des ähnlichen כ; es muss daher באכלי gelesen werden, eine Leseart, die sowohl für den Sinn als für das Metrum, damit nicht zwei Tonsilben zusammentreffen, vorzuziehen ist; der letzte Vers scheint übrigens der metrischen Symmetrie wegen erst in später Zeit hinzugefügt worden zu sein: Ankündigung des Gottesgerichts mit Gebet um Israels Erlösung.» Vide appendicem.

§. 40. 7. Dr. B. Neteler, qui systema simile praecedenti statuit scriptis: «Anfang der hebräischen Metrik der Psalmen» (Monast. 1871); «Grundzüge der hebräischen Metrik der Psalmen» (Monast. 1879). Neteler non totum systema metricum, sed tantum aliquot exempla eius proponit, e quibus elucet, eum compensatione uti:

e. gr. ps. 2: 1. –́ – – –́ – –́; – – –́ – – –́. } 6
2. – – –́
– – –́ o – –́ – – –́ ⏑; – – –́ – – –́. . 5

vel. ps. 25: 1. א – –́ – – –́ – –́ – –́. } 5
2. ב ⏑ – –́,
– – –́ – –́ – –́ –; –́ – – –́ – – –́. 6

Sed Neteler ipse concedit (Grundzüge, p. 23) verisimile esse, systema suum adhuc mutandum fore.

§. 41. 8. Ley secuti I. K. Zenner et I. Hontheim, ambo S. I. presbyteri, tantum accentus Masorethicos primarios numerant, sed, quando necessarium ducunt, et secundarios e. gr.

ps. 68, 2, 3: יקום אלהים יפוצו אויביו | וינוסו משנאיו מפניו: 4+3

[1]) כהנדף עשן תנדף | כהמס דונג מפני־אש | יאבדו רשעים מפני אלהים: 4+3+4

Ex hoc exemplo elucet, eos eandem vocem in eadem condicione mox ictu premere mox non, ut statum constructum (cum praep.) מפני (cf. appendicem). Scripserunt de hac re et quidem Zenner: «Der dritte Psalm» (Zeitschrift für katholische Theologie, Oenip. 1891, p. 690 sqq.); «Textverbesserung zu Ps. 121, 3» (ibid. 1895, p. 373); «Ps. 129 (Hebr. 130) De profundis», «Der 130. Psalm», «Psalm 131», «Der Prolog des Buches Ecclesiasticus», «Psalm 124, 125, 128» (ibid. 1896, p. 168 sq., 369 sq., 378 sqq., 571 sqq., 754 sqq.); «Die Chorgesänge im Buche der Psalmen. Ihre Existenz und ihre Form nachgewiesen, von I. K. Z.» (Frib. Brisg. 1896); «Zwei Weisheitslieder» et «Ecclesiasticus 38, 24—39, 10» (Zeitschrift für katholische Theologie, 1897, p. 551 sqq. et 567 sqq.); «Zu Ps. 14 (53)» (ibid. 1898, p. 393 sqq.); «Der 1. Theil des Buches der Weisheit» (ibid. p. 417 sqq.); «Ps. 132 und Salomos Rede» (ibid. p. 583 sqq.); Hontheim, «Beiträge zur Erklärung des 7. Psalmes», «Bemerkungen zu Psalm 104», «Bemerkungen zu Psalm 68» (ibid. 1897, p. 338 sqq., 560 sqq. et 738 sqq.); «Bemerkungen zu Job 3», «Zu Job 4—5» et «Bemerkungen zu Job 19» (ibid. 1898, p. 172 sqq., 404 sqq. et 749 sqq.); «Bemerkungen zu Job 6—7» (ibid. 1899, p. 167).

§. 42. 9. Singulare plane est systema metricum Andreae Raabe, quod in lucem edidit in libello, cui titulus est: «Die Klagelieder des Jeremias und der Prediger des Salomon. Im Urtext nach neuester Kenntnis der Sprache behandelt, (erstere metrisch) übersetzt, mit Anmerkungen und einem Glossar versehen. Neuester Gesichtspunkt für das hebräische Versmaass eröffnet». Lipsiae 1880. Auctor systema suum s. v. שְׁמֹנָה ita profert (p. 130): «שְׁמֹנָה = sāmānīh plur. fem. von sāmā̆na von *sāmana von skr. 2. sā́man gesungenes Lied, Gesang, daher griech. ὕμνος; = 3. sā́man gute-, beschwichtigende Worte, Milde u. s. w., = 1. sā́man Erwerb, Besitz, Reichthum, daher griech. ὑμέναιος; von skr. Wurzel san überliefern, vererben. Die überlieferten, vererbten Lieder werden bei der Führung eines Lastthieres gesungen, das dadurch ermuntert, auch beschwichtigt (3. sā́man) wird; die vier immer wiederkehrenden Tritte des Thieres werden mit je vier Silben, einem «pada» (Tritt) begleitet. Viersilbige Pada's sind der Grundstoff der Metren, besonders deutlich in den vedischen Liedern, wo z. B. im trishṭubh bei einem dreisilbigen Pada die eintretende Pause für die vierte Silbe gilt. Mit zweimal vier Silben war gewöhnlich ein Satz abgeschlossen, und dieser Satz ist *sāmāna, von *sāmana; daraus plur. sāmā̆nāh = שְׁמֹנָה die acht (masc.).»

Sicut Raabe in glossario suo Threnorum textui, qualem originarium putat, praemisso unamquamque vocem Hebraicam voce simili sanscritica terminat et metrum Hebraicum quatuor ἄρσεσι (sublationibus) constans e metro sanscritico repetit, ita textum ipsum Hebraicum veste sanscritica induit. Sufficiat afferre tres priores versus Thren. 1, quales eos Raabe origenetenus sonasse putat (p. 143):

1. ẹ́yi-ñcā vítrapā́ baddh.áddha
    ā́y veḍú raivā́t.e avā́ma
iyā́yayṭ-ā́ jā áriyamā́nā
    raívāṭ.é abhí āy gā̊hyem̃
çaírāt.é abhi ā́y amu-dhī́nåṭ
    iyā́yayṭ-ā́ alám̃ mā̆sha (= mà-ásha).

[1]) Vide psalmum hunc iuxta schema nostrum.

2. bāíjā̊y yeṭ-bī́jay abhí āy lāílā
    u témāyā́t-yā āíḍe lekhíy-yā
aína alám̃-yā amú-naihghérma
    mī́na cā̊íla aúhaipé-yā
cā̊íla rehé-yā bhakitúh abhí-yā
    iyā́yuh alám̃-yā alám̃ ā̊ihépem̃.

3. gā́layṭ-ā vyū́ḍha mī́na aúniy
    u mī́na rā̊íva ávapā̊́dā
yéh vitrápā abhí āy gā̊́hyem̃
    lū́ madaíyā amaú-inā̊́ya
cā̊íla raudhaípe-yā í-anusheṅgúh-yā
    bhaínna ā̊́y (= á-ày) mánthārém̃ (ré-èm).»

Sapienti sat! Quis unquam Hebraeorum, si ista audisset, sermonem patrium se audire putasset?

§. 43. 10. *Accentibus et caesuris* leges metricas inniti dicunt:

a) Prof. C. Budde (Das hebräische Klagelied, Zeitschrift für alttestamentl. Wissenschaft, 1882, p. 1 sqq.), qui schema elegiacum threnorum (1—4) describit idque e stichis aequalibus exortum esse dicit. Versus elegicus usitatissimus 3 + 2 sublationes (ἄρσεις) continet. Capite 3° e 44 versibus 30 omnibus partibus absoluti sunt et perfecti, unde Budde concludit, poetam hoc schema sibi propositum habuisse et primum ceteros quoque versus, ubi nunc licentia poetica vel corruptio textus statuenda est, eodem plane modo compositos fuisse. Primus hanc versuum compositionem de Wette perspectam habuisse videtur (Comm. zu den Psalmen, 4. Aufl., 1836, p. 55 sq.), qui primus caesurae respectum habuit, dein Keil (Hävernick, l. c. III, p. 512), Thenius, Orelli, praesertim Ley (pentam. eleg.) et Gietmann (De re metr. Hebr., p. 35; attamen cf. p. 58), qui versum hendecasyllabum ipso ambitu tractum dolorem vel etiam laetitiam imitari dicit. Etiam Budde hoc schema primum in carminibus elegiacis tantum adhibitum fuisse, dein etiam in aliis carminibus in usum venisse dicit.

§. 44. *b)* H. Gunkel, prof. theol. Berolinensis, qui poetas Hebraeos metris *Assyrios imitatos* esse putat, cf. «Schöpfung und Chaos in Urzeit und Endzeit. Eine religionsgeschichtliche Untersuchung über Gen. 1 und Ap. Joh. 12 von H. G. Mit Beiträgen von H. Zimmern, a. o. Prof. der Assyriologie in Leipzig.» Gottingae 1895. In appendice p. 401 sqq. prof. Zimmern describit metrum Assyrio-babylonicum, quod in versione germanica poematum Babylonicorum adhibet. Metrum hoc usitatissimum est ita compositum: quilibet versus in duos stichos binarum ἄρσεων (sublationum) dividitur caesura primaria; sed et stichos singulos caesura secundaria in binos pedes dividi constat exemplo acrostichi in ephemeride «Zeitschrift für Assyriologie» 1895, p. 1 sqq. allati.[1]) E. gr. stropha 20 ita scripta est:

---

[1]) Similiter G. Karpeles, Geschichte der jüdischen Literatur (Berolini 1886), I. p. 63, sententiam affert, omni versu Hebraico (vel potius sticho) contineri duas ἄρσεις, quarum utramque una tantum θέσις sequi, sed pro lubitu plures vel pauciores praecedere possint; quam sententiam tamen in medio relinquit.

li'-ú	pal-ku-ú	šú-e-ta	šim-ti
li-id-mu-um-ma	ṣur-ra-ka	ilu	ta-da-a-a-aṣ
li-ib-bi ili	ki-ma ki-rib	šamê(-e)	ni-si-ma
li-è-a-us-su	šup-sú-qat-ma	nišê	la lam-da
li-bit qâti	(ilu) A-ru-ru	mit-ḫa-riš	na-piš-ti
li-il-li-du	nis-su	ka-liš	ina ma-ḫar-ri
li-it-tu	bu-ur-šú	reš-tu-ú	ša-pil-ma
li-gi-mu	ša-ar-ku	ú-ma-ṣi	šit-ti-šú
li-il-lu	ma-ru	pa-na-a	i-al-lad
li-'-ú	qar-du	ša ša-ni-i	ni-bit-su
li-'-it-ma	mi-na a-bak-ki	ilu-ma nišê	la lam-da

Acrostichon hoc ergo simile est Psalmo 119, nisi quod initia stropharum ordine alphabetico carent.

Gunkel p. 30, Nr. 2 promittit, se de re metrica Hebraeorum ex professo acturum esse, quod utrum iam praestiterit necne, nescimus. Distinguit versus tetrametros, pentametros et hexametros, quos caesura in binos stichos dividi et saepe disticha, tristicha, tetrasticha efficere dicit. Gunkel omnium carminum Hebraeorum, quae affert, metrum determinat. Cf. Zimmern, l. c. 1893, p. 121 sqq.: «Ein vorläufiges Wort über babylonische Metrik» et 1895, p. 14—16, ubi regulas definit, secundum quas voces ictibus premendae sunt; et Fr. V. Scheil, ibid. p. 191 (Hymne babylonien avec mêtre apparent) et Fr. Hommel, Die altisraelitische Ueberlieferung, Mon. 1897, p. 184, 311 sqq.

§. 45. Ceterum iam G. L. Leutwein (Versuch einer richtigen Theorie von der biblischen Verskunst, Tubing. 1775) rhythmum biblicum essentialiter caesuris effici contendit et per accidens tantum numeros accentibus indicari concessit.

Dividit versus Masorethicos in stichos, quos ipse versus vocat et generatim raro tantum numeris aequales esse dicit, uti

Deut. 32, 10: Jimzaéhu beaéraez midbár
Ubhetóhu jelél jeschimón.
Ex. 15, 8: Nizzebhú chemo-néd noselím
Kapheú tehomót belaebh-jám.
Ps. 85, 11: Chaésaed vaeaemaét niphgásohu
Zaédaek veschalóm nascháku.

Ex his versibus aliisque non paucis Leutwein concludit, linguam Hebraicam aeque atque alias idoneam esse ad tota carmina metro conformia proferenda. Voluit auctor noster parte secunda agere de accentuatione metrica, quatenus versibus recte dividendis et metiendis inserviat, et tertia varia carminum genera explicare, sed partes istae nunquam editae esse videntur. Cf. Saalschütz, Von der Form der hebräischen Poesie, p. 32 sqq.

§. 46. *c)* Prof. Dr. Paulus Vetter (Die Metrik des Buches Job, Bibl. Studien, II, 4. Frib. Brisg. 1897), qui in supra allato schemate Babylonico schema versuum libri Iob, nempe trium caesurarum inveniri putat. Vetter p. 1 et 2 ad Origenem et Budde provocans demonstrat, *versum*, non stichum elementum metricum (*«metrische Einheit»*) esse. P. 3—18 de caesura agit, demonstrans, cum versus elegiaci proprium sit, secundum stichum caesura egere, in versibus libri Iob omnes stichos caesura secundaria (*«Binnencäsur»*) in duo cola dividi. Examinavit auctor omnes versus libri Iob et invenit, in 577 stichis intervalla logica caesura signari ideoque hanc necessariam esse in 1500 stichis caesuram logice

non quidem necessariam, sed admittendam esse, in 24 stichis denique eam logice excludi. Testimonium externum auctor in accentuatione Masorethica invenit. P. 18—26 agitur de accentu et rhythmo. Rhythmum auctor lege determinari dicit, secundum quam singula cola (ut series verborum intime iunctorum) unum saltem accentum primarium habent. Admittit autem et secundarium, ita ut triplex rhythmus habeatur: 1. si colum unam tantum vocem acutam habet, 2. si colum duas vel tres (ad summum) sublationes continet, quae ab invicem saltem singulis positionibus separantur; 3. rhythmus suavissimus eo consistit, quod accentus primarius et secundarius (*«Gegenton»*) alternant, quod duplici modu fieri potest: *a)* Colum duos accentus habet, primum secundarium, alterum primarium; iuxta hoc schema plerique versus libri Iob compositi sunt: 3, 3 *J'ȍbad jóm* | *'ivvȁled bó* ‖ vehallájlah ȁmár | *hȍrah gáber.* Colum tertium rhythmum secundum demonstrat. *b)* Accentum secundarium una vel rarius duae voces acutae praecedunt aut primarium una vox acuta sequitur. His schematibus Vetter poetam non pro libitu uti contendit, sed prout sententia ferat. P. 26—30 demonstrat, quot stichi versum efficiant. P. 60—72 Vetter systemata metrica syllabarum numeris vel accentibus innixa aestimat, ubi systema Huberti Grimme cum systemate Iulii Ley, cui innititur, plane confundit. Vetter existimat, legem de numerandis accentibus metricis legi fundamentali caesurarum repugnare. Bene refutat Hontheim hanc sententiam in ephemeride, quae inscribitur: «Zeitschrift für katholische Theologie» (Oeniponte 1897, p. 115 sqq.: «Die Metrik des Buches Iob. Von Prof. Dr. Paul Vetter»). Vide e. gr. ps. 68 in appendice et infra.[1])

§. 47. Quia nullum systematum, de quibus egimus, omnino perfectum est et viri eruditissimi omnia fere experti sunt ad inveniendas leges metricas Hebraeorum, alii putant, Hebraeos in carminibus suis metris non esse usos ideoque viros illos doctos, qui rem metricam Hebraeorum explicare conati sint, oleum et operam perdidisse, ut Gesenius, Aurivillius, Wenrich, l. c. p. 225, Kuenen, l. c. p. 24, n. 17 et teste de Wette, «Comm. über die Psalmen», ed. 2, p. 53 sq. *plerique Iudaei docti,*[2]) porro e

---

[1]) Teste Theodoro Ebert (Ugolini, Thes. XXXI, col. 18) «plurimi metra in iis (i. e. in carminibus Hebraicis) esse dicunt, sed in pedibus ipsis et speciebus declarandis suam profitentur ignorantiam, ut Andreas Masius in cap. 10, Ios. v. 11; Io. Mercerus in praef. Iobi; Franciscus Iunius in Grammat. lib. 2 in fine; Valentius Schindlerus in Grammat.; Ludovicus Lusitanus in quaest. de carmin. Davidis; Alphonsus Mendoza in globo linguae sanctae lib. 9, c. 1; Gilbertus Genebrardus in Chron. anno 3006; Robertus Bellarminus part. 3 instit. Hebraic. c. ult., qui sine dubio omnes et cum ipsis alii respexerunt ad Augustinum» (ep. ad Memor., v. supra). — Ebertus ipse putat, poeseos veteris formam primitus *solo temporum numero* circumscriptam et *occulta accentuum dispositione constitutam* esse (ibid. col. 29), «quam sequens aetas neglexit et veteris loco novam substituit nec non concinnitate rhythmi et aequali syllabarum dimensione efformavit» (Poet. Hebr. c. II, reg. 3). — I. Leusdenius, Philologus Hebraeo-graecus generalis (Ultraiecti 1670. 1685. 1695 in-4°), disp. VII, p. 55 ait: «Prophetae in V. T. modulabantur carmina sua variis accentibus Hebraicis, qui docebant, vocem esse attollendam vel deprimendam, prolongandam vel alio quocumque modo dirigendam.» Cf. Carpzov. introd. ad lib. can. V. T. ed. 2 (Lipsiae 1631) part. II, p. 11 et Saalschütz, Von der Form der hebräischen Poesie, p. 67 sq. — Ionas Conr. Schramm, De poesi Hebraeorum in codice sacro prolusio academica (Ugolini, l. c., col. 849) ait quidem: «*Quantitatem* igitur quod attinet, ante omnia illud dubium removendum est, ac si Hebraei nescire videantur pedes, longitudine aut brevitate syllabarum constantes, quoniam in scansione sua saepe syllabas breves cum longioribus permiscent»; attamen et ipse liberiorem tantum rhythmum admittit, sicut e toto tractatu et exemplis ab eo prolatis elucet.

[2]) Inter Iudaeos Rabbini quidam metrum quidem Hebraicum existere credunt, quin tamen in rem accuratius inquirant. E. gr. R. Moses Schem tob ben Chabib in libello, quem inscripsit Darche Noʿam tria carminum Hebraicorum genera statuit: 1. eorum, quorum versus (vel potius stichi) syllabarum numero aequales sunt, e. gr. Prov. 10, 5; ps. 146, 9; ps. 119, 146; 2. eorum, in quibus syllabarum inaequalitas cantus modulatione aequatur, v. c. canticum Mosis (Exod. 15) et canticum Debborae; 3. illorum, quae iuxta regulas poesis He-

Christianis, Polyc. Leyser, Scaliger,[1]) Vossius,[2]) R. Simon,[3]) Wasmuth,[4]) Herder,[5])

---

braicae recentioris concinnata sunt (cf. Dr. Abraham Alexander Wolff, der Prophet Habakuk etc., Darmstadt 1822, p. 21 sqq.). R. Samuel Arcuvolti in libro ערוגת הבושים capp. 31 et 32 non tantum metrum, sed etiam ὁμοιοτέλευτα (versuum similem desinentiam) poesi Hebraicae propria esse dicit (cf. Buxtorf, liber Cosri, p. 424 sqq.), sicut et auctor libri שלטי הגבורים qui (fol. 3, col. 3) se metrum carminum sacrorum ignorare fatetur. Attamen plerique rabbini poetas sacros Veteris Testamenti metro usos esse negant, uti *auctor libri Cosri,* parte II, §. 69 sqq., ubi acerbius in poetas Hebraicos recentiores invehitur (Buxtorf, l. c. p. 133 sqq.) et R. Samuel Aben Tybbon, qui in principio commentarii sui in l. Ecclesiastae haec habet: «Sic dico apud quasdam gentes non receptum esse in carminibus, ut eadem observetur forma ratione punctorum, videlicet regum et τοῦ Scheva, ut illa sint in omnibus eadem vel unus idemque syllabarum et pedum numerus; sed *supplent defectum modulatione;* nec dubium est, quin hic tamen aliquem habeant ordinem, nam non supplent in eo omnem defectum. Hoc te moneo, quia videntur talia fuisse poëmata tempore Davidis et Salomonis; in illis enim neque metrum neque rhythmus certus deprehenditur. Dici potest illa poëmata fuisse excellentiora quam hodierna; non enim ita adstrictas habuerunt leges et potuerunt canticis suis perfectissime inserere, quidquid voluerunt, pro voluntate et lubitu suo. Sed nostro saeculo receperunt in carminibus suis leges et conditiones plurimas tum observandas tum cavendas angustamve valde sibi fecerunt viam, ut neque ad dexteram neque ad sinistram declinare possint, unde coguntur saepe abbreviare, contrahere, omittere et addere. Qua ratione corrumpunt res aut ad minimum difficilem reddunt intelligentiam earum» (Buxtorf, l. c. p. 429 sq.). Etiam Moses Mendelsohn (ad Gen. 4, 23 et Ex. 15) aliique Iudaei recentiores, uti Joel Loewe (Einleitung zu den Psalmen), David Ottensasser (Jesaja), Abraham Alexander Wolff, hanc sententiam tenuerunt, postquam Rabbi Azaria de Rossi in libro suo מאור עינים, parte 3, cap. 60, parallelismum et aequalitatem membrorum versuum poesis sacrae formam propriam esse statuit (Buxtorf, l. c. p. 418 sqq.). (Vide supra §. 13.) Quidquid praeterea Iudaei de re metrica scripserunt, non de poesi sacra, sed de poesi Hebraica recentiore valet, de cuius metris (ab Arabibus traditis) cf. Card. Roberti Bellarmini Institutiones linguae Hebraicae (Coloniae 1580), cap. V, p. 127 sqq.; Buxtorfii (patris) Thesaurum Grammaticum linguae sanctae Hebraeae etc. (Basileae 1663), p. 608 sqq.; Theodori Eberti Poeticam Hebraicam etc. (Ugolini Thes. antiqq. ss. vol. XXXI); praesertim libellum Martini Hartmann, cui titulus: «Die hebräische Verskunst nach dem metek sĕfātajim des ʿImmanuʾēl Fransis und anderen Werken jüdischer Metriker» (Berolini 1894). Notatu dignum videtur, omnes fere illos, qui in carminibus sacris non metrum ullum, sed rhythmum tantum admittunt, syllabas numerare, quia rhythmum «ex numero quodam (!) syllabarum citra mensuram pedum» oriri putant; ita Ebertus et Rabbini plerique.

[1]) Animadverss. ad Chron. Euseb. p. 6 b et 7 a. Loco priore ad illud Hieronymi: «Quid Psalterio canorius etc.» haec dicit (teste Eberto) Julianum Apost., Marianum Victorium, Eliam Levitam, Eugubinum secutus: «De Psalterio magis miror, cum neque in eo neque Threnis ullum canticum sit metricis legibus adstrictum, sed mere soluta oratio, charactere poetico animata. Quin Esajae et aliorum prophetarum oratio instar poeseos aliquando figurata est, quam tamen propterea poesin esse non recte dixeris. Solum canticum Moysis extremo Deuteronomio, Proverbia Salomonis et totus fere liber Iob quadam rhythmi necessitate cohibentur, qui rhythmus est *instar duarum dimetriarum iambicarum* et tinnulus accedit ad aures. Sed aliquando pauciorum sunt syllabarum, aliquando plurium, quales Graecorum στίχοι καταληκτικοί, βραχυκαταληκτικοί, ὑπέρμετροι; non utique quod compositio fiat κατ' ἰσοχρονίαν, ut in Graecis solet; neque enim hoc exprimi potest idiomate Ebraico, sed quantum sententia postulat, rhythmus nunc largior, nunc brevior etc. Nam ut in Ebraico, Syriaco, Arabico (sic!) et Abyssino idiomate ulla metri species concipi possit, nemo efficere potest, quia id natura sermonis non patitur» (Ugolini Thes. vol. XXXI, col. 901).

[2]) De nat. et const. art. poet., l. I, 13, §. 2, p. 77.

[3]) Hist. crit. du V. T., liv. I, chap. 8, p. 57.

[4]) Instit. Accent. Hebr., p. 14.

[5]) «Geist der hebräischen Poesie» (Zur Religion und Theologie, 1 et 3 vol., in ed. opp. omn. Tubingae 1805 et 1806), parte I, ait (p. 34): «Ist nicht der Ebräische Parallelismus das simpelste Ebenmaass in Gliedern der Gedichte, Bildern und Tönen? Die Silben wurden noch nicht genau scandirt und gemessen, auch nicht einmal überall gezählt, aber Symmetrie in ihnen ist dem blödesten Ohr vernehmbar.» Parte II, p. 352: «Da die alte Zeit und noch jetzt der Orient nichts vom Lehrgebäude unserer Harmonie weiss, da die Poesie der Psalmen offenbar nur freie Silbenmaasse hat und wenig oder keine eigentliche Scansion nach unserer Weise kennt, *so sind wohl alle Versuche vergebens,* unsere Sprache nach jener oder jene nach unserer zu modeln. Freie metrische Regionen schweben in der Luft; Melodie und Affect bestimmen das Gleichmaass oder die Abwechslung derselben nur im Allgemeinen.» Et idem in epistolis suis (Briefe das Studium der Theologie betreffend, parte I, p. 124, opp. omn. Tub. 1808, vol. 9): «Mir kommt's vor,» inquit, «dass die Ebräer, gegen uns betrachtet, immer nur ein freies Silbenmaass gehabt haben. Sie hatten metra, lange und kurze, ungefähr gleichlaufende und verschränkte metra, wie das der erste Begriff von Musik von verschiedener Tonart und

Jahn,[1]) Pfeifer[2]) aliique; alii metrorum Hebraicorum *peritiam periisse existimant,*[3]) ut Löscher, Sonntag, Bartolocci, Kircher etc. Carpzovius (Introd. p. 21 sq.). Hebraeos metris usos esse putat, quia 1. ad naturam cantici pertineat, ut metro quodam ligetur, 2. quia ipsa musicae indoles atque natura μετρικόν τι complectatur, ut, ubi poemata sacra decantata esse constet, non possit metrum omne excludi. Attamen non omnis rhythmus metrum est et possunt carmina sine metro et esse et cantari,[4]) non tamen sine rhythmo. Idem sentit Bauer (Einleitung ins A. T., p. 358 sqq.), Meyer (Hermeneutik des A. T., II,

---

Leidenschaft fordert. Sie scheinen auch, nach einigen Psalmen zu urtheilen, einen Strophenbau im Ganzen, wenigstens zu einigen Instrumenten und Materien beliebte Gänge gehabt zu haben, auf welche nachher andere Gänge gemacht wurden. Trügt mich aber mein Ohr nicht, so geht diese Bestimmtheit nicht bis auf eine genaue Zahl, noch minder auf festgesetzte Quantität jeder einzelnen Silbe.»

[1]) Biblische Archäologie (ed. Vindobonae 1817), parte I, vol. 1, § 100, p. 488.

[2]) «Ueber die Musik der Hebräer», p. 16 et Diatribe de poesi Hebraeorum (Ugolini, l. c. col. 899 sqq.). Similiter clarissimus Calmetus, Diss. de poesi veterum Hebraeorum, Ioh. Henr. Alstedius, Encyclop. Bibl. seu Triumf. Bibliorum (cap. 27, p. 257), Ludovic. Iedemin. Rhesa, Diss. de Parallelismo sententiarum poetico in libris Novi Foederis obvio (Regiomonti 1811), p. 1, Abraham Alex. Wolff, Der Prophet Habakuk (Darmst. 1822), p. 38 et 39 metrum negant, rhythmum liberiorem concedunt. Omnem rhythmum negat Ioh. Andr. Cramer, Poetische Uebersetzung der Psalmen mit Abhandlungen über dieselben (Lipsiae 1763), parte I, p. 293 sqq. ed. 2, eoque teste etiam Grotius, Dacier, Fleury, Exercitatio in poesim universam et Hebraeorum potissimum (Ugolini Thes., l. c. col. 833).

[3]) Buxtorf, Thes. linguae st. Hebr., p. 610; Ebert, l. c. col. 18. — Pfeifer, l. c. col. 901 sqq.; van Till, Dicht-, Sing- und Spielkunst der Hebräer, parte II, cap. 6, §. 3; Mingarelli, De Pindari odis coniectur. p. 20 sqq.; R. Isaak Abarbanel (Buxtorf, l. Cosri, p. 407 sqq.); Wolff, Der Prophet Habakuk, p. 21.

[4]) Idem iam Rabbini adverterunt, uti auctor l. Cosri, parte II, §. 70: «Sane constat mihi, cantiones vel carmina non requirere dimensionem quantitatis et numeri syllabarum ac pedum et posse tam versus breviores quam longiores aequaliter cani veluti»:

לעשות נפלאות גדולות ét
הודו ליהוה כי טוב׃

Buxtorf, l. Cosri, p. 133; cf. ibidem p. 426 sqq. (Arcuvolti) etc.; — Löscher, De causis linguae Hebraicae, lib. II, cap. 11, §. 6, p. 436 ait: «Vetus illa et divina carminum ratio hactenus est ἐκ τῶν ἀνεξερευνήτων nullaque hominum industria detegi potuit.» Ita Seb. Schmid, Com. in Iob III, 3, p. 8. — Sonntag, de Titul. Psalmor. p. 566, §. 17, 12 b. «Sive, inquit, itaque ψαλμῳδοί assa voce sine fidibus ac tibicine canerent sine cum eo, quod Citharoedus luderet, aut praecinentes aut succinentes aut alio quocumque modo respondentes, concordarent οὐδὲν ἄνευ μέτρου nihil sine metro cecinerunt.» — Bartolocci, T. II Biblioth. Rabbin., p. 244 a et 259 a. — Kircher, S. I., Musurgia univers. (Romae 1650), l. II, cap. 5, §. 1, p. 58 ait: «Certe ante Troiam conditam, ante Argonautarum navigationem, ante exordium Olympiadum iam Moysen, iam Deboram, iam matrem Samuelis, iam Davidem carminis leges ad amussim observasse, dum sua cantica ad metricas leges composuerunt, luculenter patet.» Notatu etiam digna videntur, quae de antiquorum testimoniis supra allatis auctor advertit (ibid. §. 5, p. 63): «Dico igitur non esse existimandum, hexametros, trimetros et sapphicos Hebraeorum versus esse eiusdem generis cum carminibus poetarum nostratium eademque pedum qualitate, quantitate ac dispositione constare, sed diversam esse dispositionem, situm et ordinem pedum. Quia pervetusta illa Hebraeorum poesis saepe inter dactylos et spondaeos alios quoque pedes recipit, variato interdum etiam ordine sedium, in quibus apud nos collocari solent pedes . . . Ad rem igitur dico, Hebraeos interponere solere contra nostrorum poetarum consuetudinem suis carminibus rhythmos quosdam inusitatos quos simplex lector intelligere non potest, sed solum metricae artis peritissimus. Sane nec apud nos singula rhythmorum genera eundem syllabarum numerum ac eosdem fines carminum retinent.» Profert auctor ps. 111 στιχηδόν scriptum, ex quo luculenter patere putat, «et psalmos fuisse metricos et in Ecclesia Hebraeorum fuisse metrico artificio cantatos», in quo singuli versus iuxta literarum Alphabeti Hebraici ordinem digesti cernuntur, in quo subinde ὁμόφωνα, subinde non; interdum trimetra, nonnumquam aliud et aliud Iambici genus reperies.» — Walther, Officin. Bibl., §. 890, p. 968. — Danhauer, p. II, hom. acad. 19, cf. Ugolini l. c. col. 881 sqq. — Ita et clarissimus Bossuetus (Migne, Scripturae s. curs. compl. Parisiis 1841, tom. 14, col. 1024), Proleg. in psalmos, n. 33 et La Harpe (ibid., col. 1052), Discours prélim. sur les Psaumes, Hebraeorum metricam perpetua oblivione obrutam esse putant. — V. Schramm, l. c. — Inter doctos recentiores Delitzsch, Bibl. Comm. über die Psalmen, p. 18, rhythmum quendam eumque maxime varium admittit, metrum autem negat, sicut et Kuenen, König, Driver, Bleek-Wellhausen, Bäthgen, Wildeboer, Vatke etc.

p. 329) et clarissimus Lowth, qui in libro suo classico, qui de sacra poesi Hebraeorum (Oxon. 1775) inscribitur, *certa metrorum vestigia* in libris poeticis Hebraeorum inveniri contendit (p. 31 sqq.), dein autem advertit: «*Quod autem ad veros horum versuum numeros, ad rhythmum et modulationem attinet, id omne et penitus ignotum esse et nulla unquam arte aut industria humana investigari posse, ex ipsa rei natura satis apparet.* Manifestum est, antiquam et veram Hebraica pronuntiandi rationem omnino(?) esse ignotam. Quae enim de hac re praecepta excogitaverunt recentiores Iudaei, multis post saeculis quam maiorum suorum lingua in desuetudinem abiisset, eis auctoritatem ac fidem iamdudum derogaverunt eruditi: quodsi revera ex horum hominum decretis conformanda sit pronuntiatio, fatendum iam erit, non modo, id quod experti sentimus, Hebraeorum carmina nihil reliqui habere, sed nihil etiam unquam habuisse harmoniae ac poeticae suavitatis. Sed nec iis tum integrum erat obsoletae linguae sonos iamdiu elapsos revocare et veras pronuntiandi leges instaurare; nec cuiquam iam mortalium fas est sperare, se vel minimum in re tam tenui et ab nostris sensibus omnino remota tamque funditus deperdita coniectura consecuturum. Equidem linguarum omnium hac in parte subtilissima quaedam est ratio: postquam obsoleverunt, literis quidem consignatae vocem aliquam retinent, sed ut ore alieno prolatam, absonam eam omnino ac barbaram; abest illa vitalis gratia, defloruit nativa suavitas, evanuit primaevae venustatis color. Graeca procul dubio et Latina multum iam pristinae ac patriae dulcedinis amiserunt; et prout nunc efferuntur, sonum edunt apud diversos populos diversum sed ubique barbarum quemque olim Atticae et Romanae aures nullo modo ferre potuissent. Sed in his manet utcumque rhythmus, sui utrisque numeri, sui pedes constant: Hebraei vero sermonis longe deterior condicio, qui suis vocalibus destitutus per annos supra bis mille mutus omnino et, ut ita dicam, elinguis iacuit. Itaque ne numerus quidem syllabarum, quibus singulae eius voces constant, plerumque certo definiri potest; ac multo minus earum tempora, sive ut vocant, quantitas, unquam investigari. Cum vero in omni lingua metrorum ratio omnis ab his duobus pendet, syllabarum dico et numero et quantitate, quorum in Hebraea cognitionem intercidisse nec revocari posse ipsa rei natura clare indicat; profecto qui metricam Hebraeam veram illam et genuinam instaurare conatur, is aedificium exstruit, cui fundamentum, in quo nitatur, plane(?) deest» (p. 38 et 39, l. c.). Ast Lowth differentiam inter pronuntiationem Masorethicam et antiquissimam nimis exaggerat; nam si haec periisset, Rabbini in pronuntiatione et punctatione Arabes secuti essent. Unde merito Michaelis nota 5 sententiam Lowthii mitigat et Hebraeos *metro liberiori usos* esse putat. «Quodsi ergo, inquit, haec, quae manifesto laborare vitio videntur, demas *syllabamque tonicam producas,* non inepta metro erit lingua Hebraica in reliquis, quae erroris convinci non possunt, punctis Masoretharum attemperata. *Nec deest carminibus Hebraicis* ad hanc legem recitatis *sua suavitas soni rhythmusque liberior* quidem, sed tamen talis, ut saltantium choris moderari potuerit; qui ipsi poetici numeri non spernendo indicio sunt, non penitus veram appellationem Hebraicam intercidisse, sed (modeste loquor) *magnam eius partem in punctis, quae nimis aliqui contemnunt, superesse.* Hanc numerorum suavitatem poeticosque modos si minus persenserit noster, adcusanda fortasse propria Anglis vocum Hebraicarum appellatio nostra plerumque multo deterior, quam ab Hispaniae Iudaeis Hierosolymitanam originem profitentibus Germanosque et Polonos Iudaeos ceu Galilaeam turbam (nec abludit dialectus) aspernantibus acceptam et tralaticiam servavimus.»

IV. Systema tam accentibus quam syllabarum quantitati innixum.[1])

§. 48. Cornely, Introd. II, 2, p. 20, n. 17 ait: «Nec superstitiosam venerationem hodierno textui Hebraico deberi ***nec quidquam obstare, quominus omnibus illis in locis mutetur, in quibus aut manifestus est error aut una ex antiquis versionibus aptiorem lectionem praebet,*** libenti animo concedimus; neque etiam si iucundum metrum, quod parallelismum conservat, carminibus Hebraicis adaptare posset, a nonnullis levioribus mutationibus abhorreremus; at *frequentes* et *graves* (praesertim sensus) mutationes ne ob certum quidem metrum admitteremus. Ex. gr. nunquam, ut duos versus octosyllabos obtinerem et stropham octo versuum efficerem, pro verbis quibus usus est S. Paulus ad Domini divinitatem demonstrandam (Hebr. 1, 8: «Thronus tuus, Deus, in saeculum saeculi») haec alia substituerem, quae apostolicae argumentationi non inserviunt: ‚Thronus tuus, firmum est fundamentum eius; confirmavit eum Deus in saeculum saeculi'» (cf. Bickell, p. 31 libelli, qui inscribitur «Carmina V[is] T[i] metrice», ps. 45, 6. 7). Ad quam sententiam accedentes et considerantes, in poesi lyrica Hebraeorum studium symmetriae indicari numero vocum acutarum, et quidem amplius quam concedatur; aptam membrorum compositionem et rhythmum pro diverso argumento sententiarum varium inveniri; porro versus (psalmorum et libri Iob praesertim) plerosque senas vel octonas voces acutas continere et caesuris vario modo in incisa distingui, ita ut varia habeantur rhythmorum schemata (cf. Riehm, Theol. Stud. und Krit. 1877, p. 573 sqq.): illud systema metricum verum habemus, quod et parallelismum membrorum, quem dicunt, observat et textum Masorethicum, quam maxime potest, integrum relinquit et omnes denique virtutes, quibus unum alterumve systematum, de quibus supra egimus, ceteris praestat, in se comprehendit. Atqui tale putamus esse systema[2]) professoris Huberti Grimme, quod in ephemeride, quae inscribitur Zeitschrift der deutschen morgenländischen Gesellschaft, L, p. 529 sqq. et LI, p. 683 sqq. proposuit. Existimamus eum aedificium exstruxisse, cui fundamentum, in quo nitatur, *non* desit; nam fundamentum huius systematis auctor studio linguae Semiticae priscae invenit. Innititur quidem systema hoc accentibus, sed non iis solis, quia, quot versus cuiuslibet voces acuendae sint, a syllabarum quantitate pendet. Edidit Dr. Grimme libellum, qui inscribitur, «Grundzüge der hebräischen Accent- und Vocallehre» (Friburgi Helvetiorum, 1896), ubi p. 14—31 demonstrat, quomodo accentus vocum Hebraicarum loco suo motus sit.

§. 49. Distinguit Grimme accentum duplicis generis, unum «exspiratorium», alterum «musicum». Accentus exspiratorius triplex est: primarius, secundarius, levis («Hauptton», «Nebenton», «Schwachton»); item musicus triplex: acutus, medius, gravis («Hochton», «Mittelton», «Tiefton»). Ab accentu singulorum vocabulorum distinguitur accentus sententiarum («Satzton»). Accentum *unum* habent *voces monosyllabae* et *dissyllabae* omnes; trissyllabae illae, quae aut unam tantum aut duas syllabas longas easque continuas continent, exceptis eis, quarum syllaba longa unica in lingua Semitica prisca accentum secundarium habebat;

---

[1]) Animadvertendum est, iam Io. Gerhardum (Exeg. loc. I, de Script. S. § 348, p. 369) contendisse: «*Non ex solis vocalibus et eorum quantitate, sed etiam esse accentibus* et vocum inflexione per literas ratio carminis apud Hebraeos constitit», quin tamen in rem accuratius inquireret.

[2]) Simile systema metricum Adolphus Ermann in carminibus copticis invenit adhibitum. Cf. Bruchstücke koptischer Volkslieder von A. E. Aus den Abhandlungen der k. preuss. Akademie der Wissenschaften zu Berlin vom Jahre 1897.

tetrasyllabae illae, quae nullam vel unam vel duas syllabas longas easque continuas continent. **Plures** accentus habent *voces ceterae omnes. Accentum* **secundarium** *primum* obtinet syllaba ante primarium paenultima, quando longa est, et tantum, si accentus primarius ortus est ex accentu secundario linguae Semiticae priscae, etiam quando brevis est, secus tertia ante primarium. Accentum **secundarium** *alterum* obtinet syllaba praecedens secundarium primum, quando haec longa est neque saltem duae breves eam praecedunt; paenultima ante secundarium primum, quando ultima brevis est; tertia praecedens, quando ultima longa, paenultima autem brevis est. Quia plerumque non singulae voces, sed plures intime iunctae in usu sunt, harum *complexus («Sprechtactgruppe»)* pariter suum accentum primarium habet («Sprechtactoberton»), cui accentus singulorum vocabulorum subiecti sunt et qui accentus primarius vocis ultimae esse solet. *Summi momenti est accentus pausalis,* qui plerumque non est nisi accentus primarius linguae Semiticae priscae. Quia vox fidibus iungi solebat, i. e. quia carmina cantari solebant, *accentus exspiratorius cessit accentui musico,* ita ut accentu secundario saepe suppresso voces acutae seu sublationes (ἄρσεις) cum positionibus (θέσεσιν) alternent. Attamen accentus primarius, secundarius levisque in sublationes vel positiones mutantur *non pro libitu,* ut Ley vult, sed iuxta certas leges:

1. Quaevis syllaba cuiusvis verborum complexus vel sententiae exhibens accentum primarium ultimum est sublatio (ἄρσις);

2. quaevis syllaba accentu carens est positio (θέσις);

3. utrum syllabae exhibentes quidem accentum primarium, sed non verborum complexus vel sententiae ultimum, et syllabae exhibentes accentum secundarium sublationes habeantur an positiones, *pendet a summa morarum, quas exhibent omnes syllabae inter praecedentem et sequentem accentum primarium verborum complexuum simul sumptae.*

Morae syllabarum computantur respectu habito vocalisationis linguae Hebraicae priscae, ubi omnis syllaba natura longa qua talis habebatur et omne Ševâ mobile adhuc vocalis erat:

4 *morarum* sunt syllabae clausae continentes vocales sive natura sive productione longas, syllabae finales acutae (geschärfte), syllabae duplici consonanti clausae, syllabae diphthongos longas continentes;

3 *morarum* sunt syllabae clausae vocalem brevem continentes, syllabae acutae non finales, syllabae diphthongos breves continentes, syllabae apertae vocalem longam habentes;

2 *morarum* sunt syllabae apertae habentes vocalem brevem et omne Ševâ mobile. Advertendum est: 1. duplicationis consonantium gutturalium et literae ר, licet non signetur Dageš forti, semper respectum habendum; 2. syllabas acutas signo Raphê notatas semper esse trium morarum; 3. contra nec Ševâ mobile gutturalis syllabam claudentis, quando locum Ševâ quiescentis obtinet, nec Pathach furtivum computari; 4. infra verborum complexum non raro syllabam finalem vocalem brevem continentem, quam sequatur syllaba habens accentum primarium eiusdem verborum complexus, quantitatem trium morarum accipere, duplicata consonanti sequente (ope Dageš fortis coniunctivi). De vocalium quantitate vide «Grimme, Grundzüge» etc., p. 32 sqq.

§. 50. His fundamentis innituntur **leges metricae** hae:

1. *Syllaba habens accentum primarium vocis,* sed non vocum complexus vel sententiae, ut ἄρσις (sublatio) computatur, quando: *a)* nullis praecedentibus positionibus una cum ceteris syllabis accentum primarium verborum complexus praecedentibus saltem 7 moras efficit, *b)* praecedente una vel duabus positionibus una cum his et ceteris syllabis accentum primarium verborum complexus praecedentibus saltem 8 moras exhibet.

2. *Syllaba habens accentum secundarium I.* tamquam sublatio computanda est, quando: *a)* nullis praecedentibus syllabis accentu carentibus una cum ceteris syllabis accentum primarium verborum complexus praecedentibus saltem 8 moras, *b)* praecedente autem una vel pluribus syllabis accentu carentibus una cum his et ceteris syllabis accentum primarium verborum complexus praecedentibus saltem 9 moras efficit.

3. *Syllaba habens accentum secundarium alterum* ut sublatio computanda est, quando: *a)* nulla praecedente syllaba accentu egente una cum ceteris syllabis accentum secund. I. cui subiecta est, verborum complexus praecedentibus saltem 9 moras efficit, *b)* praecedente autem una vel pluribus syllabis accentu carentibus una cum his et ceteris syllabis accentum secund. I., cui subiecta est, verborum complexus praecedentibus saltem 10 moras exhibet. Porro advertendum est, syllabam 4 morarum finalem immediate sequi posse alteram sublationem, quia syllabae illae locum binarum syllabarum linguae Semiticae priscae obtinent, unde verisimile est, earum Ševâ finale primum pronuntiatum esse (l. c. p. 544; «Grundzüge etc.», p. 58 sqq.); voces segolatas autem ancipites esse quoad accentuationem, ita ut mox paenultima accentum habeat (e. gr. semper initio versus) mox ultima (quando ἄρσις [sublatio] immediate praecedens minus 4 moras exhibet). Hoc systema in exemplis in appendice positis adhibebimus.

Dr. Grimme distinguit metra primaria: binarum vel ternarum sublationum, et metra secundaria («Ableitungsmetra»): tetrametros (2+2) et pentametros (3+2 vel 2+3), quae p. 548 describit. Sed advertendum est, professorem Grimme singulos versus, etiam disticha, pro strophis habere, quod falsum est, quia saltem duo stichi ad efficiendum versum necessarii sunt, id quod iam parallelismo membrorum exigitur. *Et tamen systema eius metricum parallelismum non laedit, sed optime ei convenit.*

§. 51. *Parallelismus enim membrorum* non est nisi sententiarum rhythmus in eo consistens, quod sententia aliqua non simpliciter effertur, sed in suas partes aequaliter distribuitur, ita ut singula eiusdem membra aequali modo sibi respondeant; his rhythmus ergo cogitationi subiectus est totusque ab ea dependet, quo fit, ut rhythmica structura facile in versionibus retineri possit. Unde et carmina Hebraica omnibus omnium aetatum populis et nationibus velut propria fieri potuerunt. «Neque enim sine speciali Dei providentia factum esse arbitramur,» inquit Cornely, Introd. II, 2, p. 4, «ut poemata illa, quae Spiritus S. sacris auctoribus inspiravit, ut non uni populo, sed integro generi humano inservirent, eo rhythmi genere conscriberentur, quod omnibus in linguis facillime retentum ea redderet vere universalia; nam ne in languidissimis quidem versionibus omnis eius venustas evanescit, dum aliorum populorum carmina, utpote mere humana et nationalia, si soluta oratione exprimuntur, vix quidquam pristinae pulchritudinis sibi conservant, quin etiam haud raro risum provocant.» De parallelismo inter recentiores primus egit clarissimus Lowth («De sacra poesi Hebraeorum», prael. 19, p. 238 sqq.), quo ex eo tempore vix quisquam melius quid scripsit. Distinguitur ab eo ratione argumenti parallelismus membrorum triplex:

1. *synonymus*, «si eadem sententia aliis tantum verbis exprimitur, ut in priori membro proposita in sequenti ita repetatur, ut res rebus, verba verbis respondeant talique modo saepe sententia augeatur et clarior reddatur», v. gr.:

Ps. 19, 3: «Mittat tibi auxilium de sancto — Et de Sion tueatur te»;

2. *antitheticus*, «si membrum membro (v. g. virtutibus vitia) opponitur, praeprimis in Proverbiis Salomonis et Ecclesiastico obvius», ex. gr.: Prov. 10, 16: «Opus iusti ad vitam — Fructus autem impii ad peccatum»;

3. *syntheticus*, si sententia unius membri in altero continuatur, magis evolvitur, firmatur vel comparatione proponitur, v. gr.: Ps. 50, 15: «Docebo iniquos vias tuas — Et impii ad te convertentur». Ratione formae parallelismus aut perfectus est aut imperfectus, prout singula membra eādem plane aut diversa gaudent constructione. Plerumque versus singuli binos stichos (bina membra) continent (δίστιχοι); sed inveniuntur etiam tristicha, quorum aut singula membra synonyma sunt, e. gr. Ps. 1, 1:

«Beatus vir, qui non abiit in consilio impiorum
Et in via peccatorum non stetit
Et in cathedra pestilentiae non sedit;»

aut duo tantum synonyma et primo aut ultimo subiecta, v. gr. Ps. 30, 8 (Vulg.):

«Exsultabo et laetabor in misericordia tua,
Quoniam respexisti humilitatem meam,
Salvasti de necessitatibus animam meam;»

vel. Ps. 122, 2 (Vulg.):

«Esse sicut oculi servorum in manibus dominorum suorum,
Sicut oculi ancillae in manibus dominae suae:
Ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum, donec misereatur nostri;»

imo et tetrasticha, Deut. 32, 21:

«Ipsi me provocaverunt in eo, qui non erat Deus
Et irritaverunt in vanitatibus suis:
Et ego provocabo eos in eo, qui non est populus,
Et in gente stulta irritabo illos;»

huius schema est: *a b* | *c d*; sed potest etiam esse *a c* | *b d*: Ps. 39, 15 (Vulg.):

«Confundantur et revereantur simul,
Qui quaerunt animam meam, ut auferant eam.
Convertantur retrorsum et revereantur,
Qui volunt mihi mala.»

Pentasticha plerumque composita sunt e 2 distichis et monosticho, hexasticha e 3 distichis. Ewald (Die Dichter des A. B., I, p. 112 sqq.) distinguit rhythmum resonantem et vividum a minus vivido et a medio. Wenrich parallelismum syntheticum «syntacticum» vocat; Bellermann (l. c. p. 232 sqq.) loquitur de synonymia parallela, antithesi parallela et syntaxi parallela. De Wette triplici Lowthii parallelismo genus quartum addit, nempe rhythmicum externum, ubi forma externa parallelismi habetur, quin argumento innitatur (Comm. über die Psalmen, p. 52 sqq.). Delitzsch (Das salomonische Spruchbuch, p. 8—10) distinguit disticha synonyma, antithetica, synthetica, quorum membra duas potius sententias, licet sibi invicem cognatas, exprimunt; porro disticha, quae unam tantum sententiam exprimunt, et parabolica, quae comparationes continent, unde τῷ Mašāl conveniunt. De alliteratione et forma alphabetica hic sermo non est, quia ad rhythmum non pertinent. Unde agemus de strophis.

CAPUT SECUNDUM.

DE STROPHIS ET RHYTHMIS.

§. 52. Quum rhythmum sententiarum vel idearum Hebraei ita in carminibus suis adhibuerint, ut proprium poesis Hebraeae characterem constituat, rhythmus metricus ille

tantum admittendus est, qui parallelismum membrorum non laedit. Unde e. gr. excluduntur systemata Gietmanni, qui ps. 1, 1 ita dividit:

«Beatum virum, qui non ambulat
In consilio impiorum et in via peccatorum
Non stetit neque in consessu irrisorum sedit!»

et professoris Bickell, qui Ps. 68, 4 (Hebr.) ita dividit:

«Et iusti epulentur et exsultent
In conspectu Dei et delectentur in laetitia.»

Sed rhythmus metricus et logicus copulari et quasi implicari debent, ita ut metris et caesuris logicis magna rhythmorum varietas efficiatur. Cf. e. gr. solum Ps. 68. Divisio carminum in strophas *semper argumento inniti debet.* Attamen viri eruditi, qui de hac re egerunt, in diversissimas abierunt partes, unde elucet, de strophis in universum nihil praecipi posse. Quare singula carmina examinanda sunt, ut videatur, utrum in eis strophae distinguendae sint necne. Tamen *signa quaedam* stropharum vel indicia in nonnullis carminibus inveniuntur, e. gr. versus intercalares, alphabeta, סלה sive diapsalma. Cf. Saalschütz, Von der Form der hebräischen Poesie, p. 114—146, et Form und Geist der hebräischen Poesie, p. 5 sqq.

Primus Koester[1]) contendit, librum Iob et Prov. 1—9 strophis constare (Ueber die Strophen und den Parallelismus der hebräischen Poesie, Stud. und Krit. 1831, p. 40 sqq.); partitionem strophicam proposuit in versione libri Iob (1831) et Ecclesiastae (1831) et Psalmorum (1837). Eius viam secuti sunt Ewald, Stickel, Schlottmann, Hahn, Delitzsch, Hengstenberg, Hupfeld, Hitzig, Merx;[2]) Schlottmann Koesteri sententiam defendit Lugduni Batavorum in conventu virorum rerum orientalium gnarorum VI, sed oblocuti sunt ei Kautzsch et Budde. Gietmann (De re metr. Hebr., p. 35) fatetur: «Existimo . . . in hanc rem intellecta ratione metrica vix quidquam profectum esse; id unum, *quod adhuc viri docti censuerunt, confirmatur: aequalitatem stropharum effici vix posse.*» Unde quot capita, tot sensus![3])

---

[1]) Cf. Wocher, Mittheilungen über den Strophenbau der hebräischen Poesie etc. in ephemeride Tübinger Quartalschrift 1834, p. 613—640.

[2]) Henr. Ewald in opere suo, quod inscripsit: Die Dichter des Alten Bundes (Gottingae 1866), part. I[1], p. 134 sqq. ed. 2 uberius de strophis agit statuitque, stropham plerumque 2—4 versibus constitui, maiores versuum complexus autem in strophas minores dividi, e. gr. 5 = 2 + 3 etc., maximam vero carminis stropham numerum 10 versuum superare non debere. Tamen cant. Mosis (Deut. 32) in 4 tantum strophas dividit, quarum prima 5, secunda 9, tertia 13, quarta 16 (!) versus continet (quam sententiam postea mutavit, Jahrbücher d. bibl. Wiss. VI, p. 41 sqq.). Quare ei oblocutus est I. G. Stickel, Das Buch Hiob, p. 279 et C. F. Keil in «Dr. Heinr. Andr. Christ. Hävernick's Handbuch der historisch-kritischen Einleitung in das Alte Testament», part. III, p. 44 sq., ubi haec materia uberrime tractatur. Melius de hac re sentiunt Sommer, Bibl. Abhandlungen, p. 119, nisi quod strophas stichis, non versibus constitui putat, et Hupfeld, Die Psalmen IV[1], p. 451 et Stud. und Krit., 1837, p. 830 sqq. (Bezeichnung der Sinnabtheilung). Cf. Schlottmann, Ueber den Strophenbau in der hebräischen Poesie (Actes etc., II, 1, p. 473—492, qui tractatus etiam separatim editus est, et «Das Buch Hiob verdeutscht und erläutert» (Berol. 1851); Delitzsch, Bibl. Commentar über die Psalmen, p. 18 (ed. 5 emend.); Hengstenberg, Commentar über die Psalmen (ed. 2), IV, p. 579, ubi sententiam effert, versuum numeros in singulis strophis numeris sacris terminari (vide Kuenen, Historisch-kritische Einleitung in die Bücher des Alten Testaments, III[1], p. 53); Hitzig, Die Psalmen, übersetzt und ausgelegt (Lipsiae 1863—1865) et Hiob, übersetzt und ausgelegt (Lips. 1874); Merx, Das Gedicht von Hiob, hebräischer Text nebst Einleitung und Uebersetzung (Ienae 1871); Kautzsch et Budde in actibus congressus supra nominati, I, p. 91—95. Ley, Jahrb. f. Philol. u. Pädag. 1872, p. 209 sqq., Grundzüge etc., p. 71, Leitfaden, p. 19 sqq.

[3]) Budde, Das hebräische Klagelied (ZATW. 1882, p. 12) ait: «Die wenigsten Ausleger oder Metriker wissen etwas davon, wenn auch mehr als einer einen kunstvollen Strophenbau nachzuweisen versucht»; et

Quod ad **versus intercalares** attinet, advertendum est, carmina iis iuxta textum Masorethicum non semper in partes aequales dividi, e. gr. Ps. 42 et 43, Ps. 80, ubi tamen textus certe corruptus est (cf. appendicem); porro eos non semper verbotenus repeti, quod interdum scribarum inadvertentiae adscribitur, uti in Ps. 80 (cf. Hupfeld, Olshausen, Delitzsch, Sommer). Alphabetis autem strophae aliae, ac quae ipsa forma alphabetica externa indicantur, non excludi videntur, nisi ubi plures versus singulis alphabeti literis incipiuntur. Cf. Ps. 145.

§. 53. Certum est: 1. eas tantum carminum partes strophas merito vocari, quae argumento et rhythmo sibi invicem respondeant; 2. distinguendas esse series seu columnas stropharum a strophis minoribus, quarum versus vario numero esse possunt; 3. *stropham minorem non stichis, sed versibus διστίχοις vel interdum τριστίχοις*[1]) *constitui*, quia stichus seu membrum secundum legem parallelismi semper complemento eget; nam protasis et apodosis totum quid constituunt. Hoc valet contra Sommer (l. c. p. 119 sqq.) et Delitzsch (Comment. über die Psalmen), Merx, Bickell et alios, *etiam contra* Grimme (ZDMG., p. 551 sqq.); 4. sententiam Hengstenbergii, partitionem strophicam numeris sacris (3, 4, 7, 10, 12) regi, veri similem non esse; 5. non licere praecipere, omnia et singula carmina Hebraica in strophas partiri posse vel non posse, sed tantum tunc strophas statuendas esse, quando carmen aliquod simplici modo et absque artificio violento solius argumenti respectu habito in partes plus minusve aequales distribui possunt. Ceterum hoc interpretum est. Cf. Kuenen, Histor.-krit. Einleitung in die Bücher des A. T. III, 1, p. 46 sqq.

Nuperrime tamen Dr. D. H. Müller, professor universitatis Vindobonensis, et independenter ab eo P. I. K. Zenner, S. J., alia poetarum artificia cognoverunt, quae strophis indicandis inserviunt. Ille a. 1896 Vindobonae edidit libellum, qui inscribitur: «Die Propheten in ihrer ursprünglichen Form. Die Grundgesetze der ursemitischen Poesie, erschlossen und nachgewiesen in Bibel, Keilinschriften und Koran und in ihren Wirkungen erkannt in den Chören der griechischen Tragödie. I. Prolegomena und Epilegomena. II. Hebräische und arabische Texte.» Cf. etiam eiusdem auctoris libellum, cui titulus: «Strophenbau und Responsion. Neue Beiträge von Dr. D. H. Müller» (Vindobonae 1898). Leges fundamentales poesis Semiticae priscae teste D. Müller sunt tres: responsio, concatenatio seu anadiplosis, inclusio. In Graecorum canticis *responsio* iam pridem cognita est; consistit in eo, quod στροφή et ἀντιστροφή sibi invicem non tantum metro et caesuris respondent, sed etiam sententiis, imo et vocabulis aut similiter aut aequaliter sonantibus. *Anadiplosis*, pariter iam Graecis et Latinis nota, in eo consistit, quod una stropha iisdem (vel similibus) verbis concluditur, quibus altera incipitur. *Inclusio* in eo consistit, quod eadem stropha iisdem (vel similibus) verbis incipitur et concluditur. Ex. gr. Ṣephanja, 1, 2—18:

---

exemplum affert, ut doceat, quantum doctorum sententiae discrepent de dividendo carmine in regem Babyloniorum scripto (Is. 14, 4—21): Drechsler duas series ternarum stropharum distinguit (4b—11 et 12—21), rhythmo iuxta certam normam variante (4b—6, 7—8, 9—11 et 12—15, 16—17, 18—21; ergo 3+2+3 et 4+2+4 versus); Ewald carmen in 5 strophas (qînôth) dispescit, quarum 4 priores septenos versus breves (vel potius septena membra longiora) continent: 4b—8, 9—11, 12—15, 16—19, 20—21; Meier (additis praefatione et clausula): 3—6, 7—10, 11—12, 13—17, 18—23; Kamphausen (addita clausula): 4b—8, 9—11, 12—14, 15—17, 18—20, 21—23.

[1]) Advertendum est, versus tristichos textus Masorethici saepe corruptos, ita ut sticho uno privandi aut augendi sint.

§. 54. Stropha praefationis locum tenens:

2 אסף אסף כל מעל פני האדמה נאם יהוה
3 אסף אדם ובהמה
אסף עוף השמים ודגי הים
והכשלתי את הרשעים
והכרתי את האדם מעל פני האדמה נאם יהוה

Columna I.

1.

4 ונטיתי ידי על יהודה ועל כל יושבי ירושלים
והכרתי מן המקום הזה את שאר הבעל
את שם הכמרים עם הכהנים
5 ואת המשתחוים על הגגות לצבא השמים
ואת המשתחוים (הנשבעים) ליהוה והנשבעים במלכם
6 ואת הנסוגים מאחרי יהוה
ואשר לא בקשו את יהוה ולא דרשהו

2.

7 הס מפני אדני יהוה כי קרוב יום יהוה
כי הכין יהוה זבח הקדיש קראיו
8 והיה ביום זבח יהוה
ופקדתי על השרים ועל בני המלך
ועל כל הלבשים מלבוש נכרי
9 ופקדתי על כל הדולג על המפתן ביום ההוא
הממלאים בית אדניהם חמס ומרמה

3.

10 והיה ביום ההוא נאם יהוה
קול צעקה משער הדגים
ויללה מן המשנה
ושבר גדל מהגבעות
11 הילילו ישבי המכתש
כי נדמה כל עם כנען
נכרתו כל נטילי כסף

Columna II.

1.

12 והיה בעת ההיא אחפש את ירושלים בנרות
ופקדתי על האנשים הקפאים על שמריהם
13 האמרים בלבבם לא ייטיב יהוה ולא ירע
והיה חילם למשסה ובתיהם לשממה
ובנו בתים ולא ישבו
ונטעו כרמים ולא ישתו את יינם

2.

14 קרוב יום יהוה הגדול קרוב ומהר מאד
קול יום יהוה מר צרח שם גבור
15 יום עברה היום ההוא יום צרה ומצוקה
יום שאה ומשאה יום חשך ואפלה
16 יום ענן וערפל (:) יום שופר ותרועה
על הערים הבצרת ועל הפנות הגבהות

3.

17 והצרתי לאדם והלכו כעורים כי ליהוה חטאו
ושפך דמים כעפר ולחמם כגללים
18 גם כספם גם זהבם [לא יועיל להם]
לא יוכל להצילם ביום עברת יהוה
ובאש קנאתו תאכל כל הארץ
כי כלה אך נבהלה יעשה את כל ישבי הארץ

In stropha introductoria praebetur exemplum inclusionis (vv. 2, 3); in versibus 4, 7, 10 et 12, 14, 17 nec non 10 et 12 habes responsionem. Exemplum anadiploseos invenitur c. 3, v. 12, 13, ubi versus finalis strophae 4 incipitur voce והשארתי et versus primus strophae 5 brevioris eiusdem columnae (I.) incipitur voce שארית. Distributio strophica capitis 1 plane convenit argumento: *Strophā praefationem continente* toti orbi terrarum annuntiatur supplicium grave (5 versibus). *Columnae I* stropha 1 praedicitur ruina Iudae et Ierusalem omniumque simulacrorum atque cultorum eorum (7 versibus); stropha 2 annuntiatur «dies Iahvae», quo punientur domus regia, aulici et quicumque mores extraneos invexerint (7 versibus); stropha 3 praedicitur, hostes primum ex aquilone in urbem inferiorem irrupturos ibique tabernarios et nummularios expoliaturos esse (7 versibus). *Columnae II* stropha 1 describitur, quomodo Deus hostibus utens Hierosolymitanos divitiis suis fidentes ipsumque negligentes lanternis quasi indagaturus sit (6 versibus); stropha 12 dies Iahvae isque atrocissimus describitur (versibus 6); stropha 3 enarrantur angustiae, in quas homines adducentur, quin argento vel auro ex iis redimi possint; ita propheta revehitur ad supplicium omnium commune (versibus 6).

Sed advertendum est, alios quoque viros eruditos haec artificia poetica cognovisse, e. gr. Meier (Geschichte der poetischen Nationalliteratur der Hebräer, p. 85 sq.) in cantico Deborae responsionem notavit, similiter Delitzsch (Comm. zu den Psalmen, passim); cf. Hommel, Die altisraelitische Ueberlieferung etc., p. 313, n. 1, qui tamen responsionem pro artificio mere *rhetorico* habet.

§. 55. Eodem anno 1896 etiam I. K. Zenner, S. I., libellum suum edidit: «Die Chorgesänge im Buche der Psalmen. Ihre Existenz und ihre Form nachgewiesen. Frib. Brisg. I. Prolegomena, Uebersetzungen und Erläuterungen. II. Texte.» Auctor tractatu «Der 132. Psalm» (Zeitschrift für katholische Theologie, Oenip. 1896, p. 378 sqq.) orsus a responsione in Ps. 132, 9, 10 et 16, 17 inventa compositionem canticorum (a duobus vel pluribus choris alternis pronuntiandorum) cognovit. Contra professorem D. H. Müller versum, non stichum stropharum elementum (constitutivum) statuit; tamen hoc non valet nisi de *canticis* prophetarum. Nam sermo propheticus non iisdem legibus regitur, quibus oratio

poetica, sicut e Ṣeph. c. 1 allato elucet: 1. versus non sunt semper δίστιχοι aut τρίστιχοι («semipede currentes», S. Hier.) ut versus carminum, sed mox longiores mox breviores esse possunt, plerumque longiores versibus poeticis; etiam stichi plerumque longiores sunt stichis poeticis; 2. usus loquendi prophetarum alius est ac poetarum (cf. Gunkel, l. c. p. 45, ubi sermo propheticus altiore stylo praeditus «prosa rhythmica» vocatur, et Kuenen, p. 56, n. 48; et Grimme l. c. ZDMG., 51, p. 683); 3. numerus ἄρσεων (sublationum) in eiusdem strophae versibus varius esse potest. Tantum *cantica* prophetarum iisdem legibus subiecta sunt ac carmina cetera. Locis supra ex operibus scriptorum antiquorum allatis innixus Zenner vim diapsalmatis (סלה) cognovit eoque mutationem chororum canentium significari demonstravit. Oblocutus est ei prof. Othmarus Mussil (Studien und Mittheilungen aus dem Benedictiner- und dem Cistercienser-Orden, 1897, p. 328 sqq. et 505 sqq.), cum Hontheim (v. supra) eum sequatur. Nos sententiam Zenneri veram quidem habemus, sed systema eius strophicum in omnibus carminibus, in quibus ipse adhibet vel eodem modo, quo ipse illud adhibet, adhiberi posse merito negamus. E. gr. Zenner etiam cantica Mosis Ex. 15 et Deut. 32 iuxta schema suum in strophas distribuenda esse putat. Quod metrorum respectu habito fieri non potest. Nam versus nimis inaequales essent; melius nobis distribui videtur Ex. 15 a Dr. Felice Perles, professoris Dr. H. Müller discipulo, in tres strophas aequales v. 2—5, 8—10, 12—16, quarum unamquamque versus fortasse ab omnibus recitandus vel repetendus claudit, et distichon finale:

1.

[1] אשירה ליהוה | כי גאה גאה ‖ סוס ורכבו רמה בים   4+4
עזי וזמרת יה | ויהי לי לישועה ‖ זה אלי ואנוהו   4+2
אלהי אבי | וארממנהו ‖ יהוה איש מלחמה | יהוה שמו   3+4
מרכבת כרעה וחילו ירה בים ‖ ומבחר שלשיו טבעו בים סוף   4+4
תהמת יכסימו ‖ ירדו בּמצולת כמו אבן   2+4

ימינך יהוה נאדרי בכח ‖ ימינך יהוה תרעץ אויב   4+4

Sic compositae sunt etiam strophae sequentes, ita ut in primo et quinto cuiuslibet responsio habeatur et sexti cuiusque versus στίχοι iisdem verbis incipiantur, id quod Graeci ἐπαναφοράν, Latini repetitionem vocant. Similiter distributio strophica cantici Deut. 32 a Perles proposita magis placet, quod ea textus Masorethicus non nimis mutatur (cf. Wiener Zeitschrift für die Kunde des Morgenlandes, X, 103 sqq.). Certe plerisque canticis schema Zenneri (simplex: Strophe, Gegenstrophe — Wechselstrophe — Strophe, Gegenstrophe) optime convenit ut Ps. 89 (vide supra), Ps. 80 et 68 aliisque (cf. app.).

§. 56. Afferemus in appendice complures Psalmos, in quibus systema metricum Huberti Grimme ad usum transtulimus, unde elucebit, numerum metrorum alicuius versus et versuum alicuius strophae varium esse, systema metricum laudatum textui Masorethico optime convenire eique emendando inservire: Ps. 18, 14 (53) + 70, 42 + 43, 59, 68, 80, 89, 94, 104, 105, 121, 124, 125, 128, 132, 145, 148 + 149 + 150. Nostrum quidem hic non est, commentarios scribere in hos Psalmos, ast quae ad systema nostrum et metricum et strophicum tam illustrandum quam probandum conferunt, advertere volumus.

---

[1]) Verisimili est, omnes versus huius carminis origenetenus octametros fuisse.

1. Psalmum 18 in appendice ceteris praemittimus, quia duplex species eius adest, una in Psalterio, altera in libro II Sam. 22, 2—51 conservata, quare in tribus columnis textum huius Psalmi proferimus, in media textum iuxta systema nostrum metricum emendatum, in sinistra textum Masorethicum libri Psalmorum, in dextera textum Mas. libri II. Sam., ut cuilibet primo intuitu liqueat, quantum uterque textus Mas. cum emendato congruat vel discrepet. Qui duplicem hanc eiusdem Psalmi speciem consideraverit, merito mirabitur, tot in locis textum unum ab altero discrepare et certe probabit, quae Olshausen, Die Psalmen, p. 111 dicit: «Zunächst fällt die *grosse Zahl* der Varianten auf, indem nur wenige Verse in beiden Recensionen völlig miteinander übereinstimmen. Dieser Umstand ist, wie das ähnliche Verhältnis bei anderen Stücken des A. T., die in doppelter Gestalt vorkommen,[1]) sehr belehrend, indem er beweist, *wie frei man vor der Schliessung des hebräischen Kanons mit den Erzeugnissen der israelitischen Literatur umgieng;* so dass bei denjenigen Büchern und Abschnitten, die uns jetzt nur in einer einzigen Gestalt vorliegen, nicht die geringste Sicherheit vorhanden ist, dass sie vor mancherlei, auch absichtlichen Aenderungen bewahrt geblieben seien . . . Sodann ist zu beachten, dass zwar von beiden vorliegenden Recensionen *keine den Text in seiner ursprünglichen Gestalt wiedergibt, in den meisten Fällen jedoch die Recension im Psalter dem Originale näher zu kommen scheint* als die im 2. Sam.; namentlich enthält letztere mehr absichtliche Veränderungen als erstere. Nur in der Orthographie hat 2. Sam. den Vorzug grösserer Alterthümlichkeit vor dem Psalter voraus, indem die Vocalbuchstaben mit viel grösserer Sparsamkeit geschrieben werden.» Cf. Ewald, Psalmen (ed. 3), p. 55 sqq. et Jahrbücher der bibl. Wissenschaft, 6. Jahrb. (1853—1854), p. 20 sqq. et Budde, Theologische Literaturzeitung 1888, col. 3 sqq. (ubi de libello Leyano, «Leitfaden etc.» iudicium fert).

Unde merito textum Masorethicum corrigemus, ubi et sensus et rhythmi respectu habito corruptum se exhibuerit, praesertim si textus iuxta systema nostrum metricum collatis etiam versionibus antiquis emendatus cum Masorethico non magis discrepat quam Psalmi 18 species una cum altera. Et revera mutationes nostrae plerumque nullius momenti sunt, quia mox ו, את, articulus et aliud eiusmodi additur vel demitur, mox literae sono aut figura similes commutantur etc.; ubi tamen maioris momenti sunt, etiam praeter rhythmum aliae rationes adesse solent. Contra professorem Mussil hic advertendum est, minime semper lectionem difficiliorem praeferendam esse, quia non omnes textus mutationes consulto factae sunt, et quia secus ponendum esset, poetas semper obscure loqui debere.

Schema Ps. 18 strophicum est: 7. 7—8—5. 5—6—7. 7. Versus sunt omnes hexametri. Cf. Zenner, Die Chorgesänge etc., I, p. 57 sqq. et II, p. י (10) sqq. Strophae I parte priore thema continetur: Laudabo Dominum, quia eripuit me inimicis meis (2—4); parte altera dicit psalmista: Pericula mortis circumdederunt me, quare ad Dominum vocavi, qui audivit me (5—7). Antistropha I: Terra tremuit, quia Dominus iratus est (8. 9); Dominus iudex in tempestate apparuit (10—13). I. Stropha alternis canenda (quater binis versibus) ***describitur,*** quomodo Deus iustitiam suam in psallentis inimicos, in hunc autem misericordiam suam manifestaverit[2]) (14—20). Stropha II: Sic Dominus egit propter psalmistae probitatem (21—25); antistr. II: Quia pios diligit et iuvat (26—30). II. Stropha alternis canenda (ter binis versibus) describitur, quomodo Deus, in quem solum sperandum sit, psalmistam

[1]) E. gr. Ps. 105, 1—15 et 1. Paralip. 16, 8—22.

[2]) Unde prof. Mussil immerito contendit, contextum rerum hic discindi (Studien und Mittheilungen etc., 1897, p. 331).

ad proelium contra hostes subeundum comparaverit (31—36). Stropha III (3+4 versibus) poeta canit, se Deo auxiliante inimicos suos superasse (37—43), et antistropha III: se a Deo caput gentium constitutum esse (44—46), unde Iahven inter gentes praedicare decernit. Versus 51 a scriptore posteriore additus est.

§. 57. 2. De Psalmo 14 (53)+70 (40, 14—18) cf. Zeitschrift für katholische Theologie, 1898, p. 393, ubi Zenner uberrime eum explicat. Certe ex hoc exemplo cuilibet viro erudito elucebit, quam futtilia sint, quae in ephemeride laudata «Studien und Mittheilungen» etc. 1897, p. 332 contra talia cantica e pluribus Psalmis composita dicuntur, praesertim cum prof. Mussil ad metricam Bickellianam provocet, quam supra refutavimus. Miramur, quare viro illi doctissimo magis placeat, si prof. Bickell propter metrum suum Syriacum(!) Psalmum Hebraicum in duo vel plura cantica dissolvit, uti e. gr. Ps. 7, 24, 27, 36, 40 etc., ubi metrum accentibus innixum semper idem est, cum tamen Ps. 68, ubi metrum varium est, non discindat, quam si Zenner duos psalmos eiusdem tam metri quam argumenti coniungit (cf. Studien und Mittheilungen etc., 1897, p. 505 sqq.). Cf. ad 14, 5. 6 Wellhausen, The Book of Psalms, p. 85. Schema huius cantici est hoc: 4. 4—4—4. 4. Versus sunt pentametri. Argumentum: Omnes fere homines iniqui sunt, ita ut Deus frustra quaerat iustum vel unum (1. 2). Num revera ad unum omnes recesserunt ab aequitate? *Ubi* enim invenitur, qui bene agat? Nonne convivae Iahvae socii erant idololatrarum (3. 4)? Versu 5 *describitur* vanus idololatrarum timor, v. 7 desiderium exprimitur, ut Iahve populum suum exsulantem in terram sanctum reducat (7e additamentum est). 70, 2—4 poeta orat, ut Iahve hostes populi sui confundat, ut iusti exsultent Deumque laudent, id quod factum iri psalmista persuasum sibi habet (5).

3. De Psalmo 42+43 cf. Sommer, Bibl. Abhandlungen, p. 177 sqq. Huic cantico dividendo versus intercalares inserviunt. Iuxta textum Masorethicum strophae inaequales esse videntur, attamen si diligenter adverteris, videbis, praeter versus intercalares etiam alios versus repeti locis non convenientibus. Stropha enim tertia (Ps. 43) modus cuiusque strophae indicatur: quater bini versus pentametri et versus intercalares; quod si stropham secundam cum prima et tertia comparaveris, facile concedes, 42, 10 c d sumptum esse e 43, 2 c d, item 42, 11 c d ex 42, 4 c d, quia versus intercalares in diversis strophis eundem locum obtinere solent. Praeterea 42, 5 e f additamentum esse videtur. Versus intercalares duobus pentametris et uno sticho (trium ἄρσεων) constant. Argumentum est hoc: Coram te, Domine apparere cupio (42, 23); afflictus inimicorum opprobriis memor sum illius temporis, quo cum multis aliis templum tuum visitabam (4. 5). Versus intercalari psalmista animum suum erigit confidendo Deo (6). Stropha II *describit* (versibus quater binis), quomodo absens a templo Hierosolymitano (7) mediis in calamitatibus (8) memor pristinarum Iahvae miserationum (8) etiam nunc oratione ad Deum se convertat (10. 11). Stropha III poeta orat: Deus, age tu causam meam adversus gentem non sanctam, cur repudiasti me? (43, 1. 2). Reduc me ad templum sanctum tuum (3. 4). Quod petens ad illud revertitur, a quo initium ortum est. Facile etiam hoc canticum tamquam chorale cognoscitur, ita ut quaelibet stropha maior in stropham et antistropham a diversis choris canendas dividatur, cum versus intercalares ab utroque choro canendi sint. Schema hoc est:

$$4.\ 4—2^1/_2—2.\ 2.\ 2.\ 2—2^1/_2—4.\ 4—2^1/_2.$$

§. 58. 4. In Psalmo 59 iterum habes duos versus intercalares, qui in utraque parte eosdem locos obtinent. Sicut Ps. 42+43, ita et hoc canticum iuxta schema singulare alternis canendum est. Argumentum hoc est: Eripe me, Domine, e manibus inimicorum

sanguinolentorum et dolosorum (2—4), quia non meo vitio fit, ut capiti meo insidias parent; ergo surge, Domine exercituum ad arguendas omnes gentes, ne parcas iniquis (5. 6). Hi vespere revertuntur et urbem ut canes latrantes circumeunt (7). Illudant me illi, tu, Iahve, irrides eos (8. 9); es fortitudo mea, te laudabo (10). Deus meus misericors praevenit me et efficit, ut inimicos meos vincam; fac, Domine, ut palati vagentur, ut de iis populus meus exemplum sibi capiat (11. 12). Puniantur propter sermones malos; dele eos, ut cognoscant usque ad fines terrae, Deum regnare in Iacob (13. 14). Vespere revertuntur et urbem ut canes latrantes circumeunt (15). Vagentur illi, ut escam quaerant, et, non saturati, pernoctent: ego mane potentiam et misericordiam tum carmine celebro, quia tu es refugium meum (16. 17). Fortitudo mea, te laudabo (18). Versus intercalares ab utroque choro pronuntiandi sunt. Versus 8 tristichus locum tenet duorum distichorum, quae restituimus e Ps. 94, 7b, respectu habito versus 14c carminis nostri. Contra 18c delendum est, quia hae duae voces e 12a sumptae sunt. Schema hoc est: 3. 3—1—3—1—3. 3—1—3—1.

5. In Psalmo 68 advertenda est positio nominis Elohim, quod in quolibet versu duarum priorum duarumque ultimarum stropharum invenitur; porro in 5 prioribus versibus strophae I alternis canendae, sed minime in ceteris; in v. 1, 2, 4, 5 strophae II, sed non in v. 3; contra in versu 3, antistrophae II, non tamen in ceteris; denique in versibus 1, 3 (1+2), 6 (1+2+3), 10 (1+2+3+4) strophae II alternis canendae. Argumentum est laus Dei in monte Sion habitantis. ***Pars prior*** incipitur verbis, quibus Moses Deum ad exsurgendum excitabat, quando arca foederis portabatur (Num. 10, 35) et concluditur verbis similibus illis, quibus Moses Deum ad considendum invitabat, quando Israelitae castra ponebant (Num. 10, 36). Describitur hac parte priore, *quomodo Deus occupet montem Sion.* Stropha I psalmista invitat Dominum ad proficiscendum (2—4), antistropha I populum Israeliticum excitat ad laudandum Iahve (5—7); stropha I alternis canenda ***describitur*** gloriosum Iahvae in terram Kanaan iter, 1. quomodo per desertum proficiscatur (8—11), 2. quomodo terram Kanaan occupet (12—15). Stropha II: Iahve praeda gravis Sion ingreditur (16—19). ***Pars altera*** includitur benedictione Dei; *Iahve in aeternum in Sion inhabitat.* Antistropha II: Iahvae promissio, se populum suum semper protecturum esse (20—24). Stropha II alternis canenda ***describitur,*** quomodo Deus in Sion colatur: 1. Iahve a populo Israel colitur (25—28); 2. utinam et a gentibus colatur (29—32)! Stropha III et antistropha III psalmista excitat ad laudandum Deum, quia magnum se manifestat cum in universo mundo (33. 34) tum in populo suo (35. 36). Metrum varium est, uti ex schemate elucet:

Str. I { 4+3. 4+3+4. 4+3. } Antistr. I { 4+3+4. 4+3. 4+3+4. } Str. alternis can. I. { 2+2+2, quinquies. 3+3, quinquies. }

Str. II: 4+4, quinquies. Antistr. II: 4+4, quinquies. Str. alt. c. II { 4+3, quinquies. 3+4, quinquies. }

Str. III: { 2+2+2. 3+2. 3+2. } Antistr. III: { 2+2+2. 3+2. 3+2. } Ex schemate hoc artificioso elucet quoque, 14a non delendum esse, ut vult Wellhausen, The Book of Psalms, p. 88. Cf. Zeitschrift für katholische Theologie 1897, p. 738 sqq., ubi Hontheim in Ps. hunc fusius disputat.

6. Psalmi 80 argumentum versu intercalari (4. 8. 20) exprimitur: «*Iahve, Deus exercituum refice nos, respice nos benigne, ut salvemur*» (vel: et salvi erimus). Stropha I[a] psalmista a Deo, pastore populi Israel, auxilium petit (2—4b); antistr. I[a] queritur de ira Dei, qui implacabilis esse videtur (5—7), quare etiam atque etiam vocat: «Iahve» etc. Stropha

alternis canendā Deum pristinae misericordiae et benignitatis commonefacit, quam sub pulcherrima imagine vitis e terra Aegypti ab eo in terram sanctam translatae *describit* (9—11). Stropha II^{a} demonstrat, quantum condicio populi regnique sui Dei benignitati repugnet, unde orat: «Visita vineam istam, quam plantavit dextera tua, et perfice eam (13—15). Antistr. II^{a} Deo supplicat, ut illos, qui ipsius vineam vastaverint, perdat, populum vero electum adiuvet (17—20). Versus sunt hexametri. Cf. Zenner, Die Chorgesänge etc. I, p. 49 et II, מח (48) sqq.

7. De Psalmi 89 argumento et metro v. supra §. 16. Cf. Zenner, l. c., I, p. 28 et II, נב (52) sqq. Adverte metrum varium: versus 2—16 (exceptis v. 4 et 5, quibus verba Dei continentur) et 47—52 octametri sunt, ceteri (4. 5 et 17—46) hexametri.

§. 59. 8. Psalmi 94 argumentum est: Veni, Deus ultor, puni superbos; quamdiu exsultent praevaricatores (1—3)? Procaces sunt lingua, opprimunt populum tuum, putantes, te hoc non videre (4—7).[1] Stropha alternis canenda psalmista ad impios ipsos se convertit, omniscientiae et iustitiae Dei eos commonefaciens (8—11), dein omnes beatos praedicat, quos Deus erudierit (12—15); sic duplici modo praeclare Dei providentiam *describit.* Dominus, inquit, adiutor meus et solatium meum (16—19), ipse non potest iniquos adiuvare, sed me, illos autem certe perdet (20—23). Versus hexametri sunt. Advertendum est, ultimo quoque versu strophae I, antistrophae I, strophae alternis canendae, strophae denique II^{ae} argumentum indicari strophae cuiuslibet sequentis. Schema strophicum est hoc: 3. 3—8—4. 4. Cf. Zenner, l. c., I, p. 52, II, נו (56) sqq.

9. Psalmus 104 est in Deum creatorem scriptum, de cuius argumento vide Hontheim, Bemerkungen zu Ps. 104 in ephemeride laudata «Zeitschrift für katholische Theologie 1897, p. 560 sqq. Schema strophicum est: 5 (2+3). 5 (2+3)—4—5 (3+2). 5 (3+2)—8—3. 3. Versus sunt hexametri. Advertendum est, stichos versuum 7 et 8 non mutandos esse. Versus 8 orationi interpositus est. Versus 12 vertendus est: Super eis (i. e. bestiis campi et onagris) volucres coeli habitant. (Baethgen, Die Psalmen, p. 308). Certe cum Hontheim v. 26 loco vocis אֳנִיּוֹת (naves) legendum est nomen animalis aquatilis (אֲנָפוֹת ardea?). De versibus 14 et 15 cf. Wellhausen, The Book of Psalms, p. 93, ubi ait: «The construction of the Hebrew is disjointed. Nor does the text seem to be right in v. 15. Oil should be coordinated with wine and bread.» Metrum et schema strophicum viam demonstrat textum restituendi. Versus ultimus repetitio est versus primi, quare stichus 2 ex hoc sumendus est. Merito P. Hontheim disputationem suam concludens: «Der Leser,» inquit, «wird bei Prüfung dieses Liedes wohl mit mir zur Ueberzeugung kommen, dass manche Psalmen eine Zerlegung in Strophenpaare mit eingelegter Zwischenstrophe geradezu fordern, *dass also Zenners Theorie der Chorlieder für viele dieser schönen Gesänge sich glänzend bewährt.* Wenn man bedenkt, dass der vorliegende Stoff an sich für ein Chorlied wenig geeignet war und dennoch in dieser Form dargestellt wurde, so sieht man ein, wie beliebt und vielgebräuchlich diese Dichtungsweise gewesen ist.»

10. Argumentum Psalmi 105 ex historia populi Israel sumptum est; est enim carmen in Deum foederis scriptum. Stropha I (versibus 3+4) poeta Israelitas ad celebranda praeclarissima Iahvae facinora et ad fidem ei servandam excitat (1—7); antistropha I (3+4 versibus) Deum promissis suis stetisse demonstrat admonens, quomodo ex familia patriarcharum providentia divina protegente populus Israel exortus sit (8—15). Stropha alternis

---

[1]) Versus 6 tam metro quam schemate strophico dubius redditur.

cantanda psalmista Israelitas commonefacit, quomodo Deus Ioseph in Aegyptum praemiserit providentiam divinam *describens* (16—27). Stropha II plagas Aegyptiorum enarrat (versibus 3+3+3; 28—36) et antistropha II (37—45; versibus 3+3+3) historiam exodi breviter exhibet. Versus hexametri sunt, schema autem strophicum hoc est: 7. 7—12—9. 9, unde elucet, Olshausen (Die Psalmen, p. 403) structuram strophicam huius carminis immerito negare. Versus 11 ex Ps. 78, 55 sumptus est; iam metro deficiente dubius redditur. Versus autem 28 structura strophica exigitur, ergo genuinus est, non a scriptore posteriore additus, ut Wellhausen aestimat, l. c. p. 93.

11. Psalmi 121, 124, 125, 128 sunt cantica graduum binarum stropharum. Quaelibet stropha quatuor versus pentametros exhibet. De Psalmis 124, 125, 128 cf. Zenner in ephemeride «Zeitschrift für katholische Theologie» 1896, p. 754, de Ps. 121, ibid. 1895, p. 373 sq., 121, 3 cum Zenner ita vertimus: Quid? Deus admittens, ut labatur pes tuus, deus dormiens est custos tuus?

§. 60. 12. De Psalmo 132 v. Zenner, Die Chorgesänge etc., I, 1 sqq. et II, סד (64) sq.; Zeitschrift für katholische Theologie 1896, p. 739 sqq. et 1898, p. 583 sqq. ubi demonstrat, structuram strophicam a se restitutam convenire 3. Reg. 8, 15 sqq. et 2. Paral. 6, 4 sqq.; porro ibidem 1896, p. 739; Studien und Mittheilungen aus dem Benedictiner- und Cistercienser-Orden 1897, p. 328 sqq. et 505 sqq.; Dr. D. H. Müller, Strophenbau und Responsion. Neue Beiträge, p. 7 sq. Versus hexametri sunt, schema strophicum hoc est: 4. 4—4—4. 4.

13. Psalmus 145 carmen alphabeticum est, cuius versus hexametri sunt, schema autem hoc est: 4. 4—6—4. 4. Argumentum est magnitudo et benignitas Iahvae. Stropha I: Laudabo te, deus Iahve, quia magnus es et laudabilis nimis (1—4); omnes generationes praedicant opera tua, quibus te Deum iustum, benignum, longanimem, misericordem exhibes (5—8); stropha alternis canenda psallentes certatim Deum laudant (9—13); stropha II (14—17) et antistropha II (18—21) psalmista Dominum laudat, quia omnium curam gerit, praesertim autem pios protegit. Cf. Zenner, Die Chorgesänge etc. II, סו (66) sqq.

14. Psalmi 148, 149, 150 unum canticum chorale efficiunt. Stropha I (1—4, 8 et 5. 6) et antistropha I (7. 9—12 et 13. 14) psalmista coelum et terram ad Deum laudandum excitat; stropha alternis canenda (149, 1—4) *describitur,* quomodo et quare Israel Dominum laudare debeat. Stropha II psalmista pios exhortatur, ut Dominum celebrent tam in pace quam in bello (5—9); antistropha II Iraelitas iubet Domino canere omnibus instrumentis musicis (150, 1—5). Versus hexametri sunt, schema strophicum hoc est: 5+2. 5+2—4—5. 5; e quo elucet Psalmi 148 versum 8 inter 4 et 5 inserendum esse, licet prof. Mussil ad hexaemeron provocans hoc neget (Studien etc., 1897, p. 330). Versus 5, 6 et 13, 14 parallelos esse et sibi invicem respondere, etiam Baethgen cognovit (Die Psalmen, ed. 2, p. 433). Cf. Zenner, Die Chorgesänge etc., I, p. 55 sqq. et II, סו (66) sqq.

Iam ex his exemplis satis intellegi putamus, carmina Hebraica et metris gaudere variis et vario modo, argumenti respectu habito, in strophas aequaliter compositas distribui posse; porro scriptores illos antiquos minime hariolatos esse, cum illa de poesi Hebraica scriberent. Possemus sententiam et aliis exemplis satque multis illustrare; ast ne libellus aequo amplior fiat, alia carmina tractabimus in ephemeride, quae inscribitur: «Studien und Mittheilungen aus dem Benedictiner- und dem Cistercienser-Orden.»

U. I. O. G. D.

SUPPLEMENTUM.

Ad **§. 22.** Sicut Iones nuperrime D. S. Margoliouth, M. A., in libro Ecclesiastici metrum 15 arabicum adhibitum esse defendit in libello, qui inscribitur: An Essay on the place of Ecclesiasticus in Semitic literature being the inaugural lecture etc. (Oxford 1890). Cf. The Expositor, 1890, april, may, november. Sed animadvertendum est, Margoliouth supponere textum Eccli. versionis suae Hebraicae, non textum genuinum 1896 inventum. De fragmentis Hebraicis Ecclesiastici alias agemus.

Ad **§. 29.** Bickellii systema impugnavit Ecker, cuius scripta obtinere non potuimus.

INDEX RERUM ALPHABETICUS.

LOCI SCRIPTURAE SACRAE IN HOC LIBELLO TRACTATI.

Psalmus 145.

Stropha alternis canenda.

II 10 יודוך יהוה כל מעשיך | וחסידיך יברכוכה:
II 12 להודיע לבני אדם גְבוּרָתוֹ | וכבוד הדר מלכותו:
II LXX [נאמן יהוה בדבריו | וחסיד בכל מעשיו]:

Antistropha II.

II 18 קרוב יה לכל קראיו | לכל אשר יקראהו באמת:
19 רצון יראיו יעשה | ושועתם ישמע ויושיעם:
20 שומר יה את כל אהביו | ואת כל הרשעים ישמיד:
21 תהלת יה ידבר פי | ויברך כל בשר שם קדשו:

Psalmi 148, 149, 150.

Antistropha I.

II 7 הללו את יהוה מן הארץ | תנינים וכל תהמות:
9 ההרים וכל גבעות | עץ פרי וכל ארזים:
10 החיה וכל בהמה | רמש וצפור כנף:
11 מלכי ארץ וכל לאמים | שרים וכל שפטי ארץ:
12 בחורים וגם בתולות | זקנים עם נערים:

13 יהללו את שם יהוה | כי נשגב שמו לבדו:
14 וירם קרן לעמו | לבני ישראל קרביו:

Stropha alternis canenda.

2 ישמח ישראל בעשיו | בני ציון יגילו במלכם:
4 כי רוצה יהוה בעמו | יפאר ענוים בישועה:

Antistropha II.

150

1 [1] הללו אל בקדשו | הללוהו ברקיע עזו:
2 הללוהו בגבורתיו | הללוהו כרב גדלו:
3 הללוהו בתקע שופר | הללוהו בנבל וכנור:
4 הללוהו בתף ומחול | הללוהו במנים ועגב:
5 הללוהו בצלצלי שמע | הללוהו בצלצלי תרועה:

---

[1]) Vide repetitionem (ἐπαναφοράν) in singulis stichis huius antistrophae et inclusionem in stropha I et antistropha II significanter apparentem.

Psalmus 145.

Stropha alternis canenda.

I	9	טוב יהוה לכל	ורחמיו על כל מעשיו:
I	11	כבוד מלכותך יאמרו	וגבורתך ידברו:
I	13	מלכותך מלכות עולמים	וממשלתך בכל דר ודר:

Stropha II.

I	14	סומך [1]יה לכל הנפלים	וזוקף לכל הכפופים:
	15	עיני כל אליך ישברו	ותתן את אכלם בעתו:
	16	פותח אתה ידך	ומשביע לכל חי רצון:
	17	צדיק יה בכל דרכיו	וחסיד בכל מעשיו:

Psalmi 148, 149, 150.

Stropha I. 148

1	[2]הללו את יהוה מן־השמים	הללוהו במרומים:
2	הללוהו כל מלאכיו	הללוהו כל צבאו:
3	הללוהו שמש וירח	הללוהו כל כוכבי אור:
4	הללוהו שמי השמים	והמים אשר מעל השמים:
8	אש וברד ושלג	סערה עשה דברו:
5	[3]יהללו את שם יהוה	כי הוא צוה ונבראו:
6	ויעמידם עד עולם	חק נתן ולא יעברו:

Stropha alternis canenda. 149

I	1	שירו ליהוה שיר חדש	תהלתו בקהל חסידים:
I	3	יהללו שמו במחול	בתף וכנור יזמרו־לו:

Stropha II.

I	5	יעלזו [4]חסידים בכבוד	ירננו על משכבותם:
	6	רוממות אל בגרונם	וחרב פיפיות בידם:
	7	לעשות נקמה בגוים	תוכחות בלאמים:
	8	לאסר מלכיהם בזקים	ונכבדימו בכבלי ברזל:
	9	לעשות בם משפט כתוב	הדר הוא לכל חסידיו:

---

[1]) Adverte responsionem in 14a et 18a, 17a et 21a et inclusionem in 14a et 17a, 18a et 21a.
[2]) Ne dissimules responsionem in 1a et 7a et repetitionem (ἐπαναφοράν) in singulis stichis 1a—4a.
[3]) Adverte responsionem in v. 5 et 13. [4]) Vide inclusionem in 5a et 9b.

Psalmus 128.

4 הנה כי כן יברך — גבר ירא [1] יהוה:
5 [וכן] יברך אותך — יהוה מציון:
וראה בטוב ירושלם — כל ימי חייך:
6 וראה בנים לבניך — שלום על ישראל:

Psalmus 132.

Antistropha I.

II 11 נשבע יהוה לדוד — אמת לא ישוב ממנה:
מפרי בטנך [אחריך] — אשית [2] לכסא לך:
12 אם ישמרו בניך — בריתי ועדותי אלמדם:
גם בניהם [3] עדי עד — ישבו לכסא לך:

Stropha alternis canenda.

II 13 כי בחר יהוה בציון — ואוה למושב לו:
14 זאת מנוחתי עדי עד — פה אשב כי אויתיך:

Antistropha II.

II 15 ציונה ברך אברך — אביוניה אשביע לחם:
16 כהניה אלביש ישע — וחסידיה רנן ירננו:
17 שם אצמיח קרן לדוד — ערכתי נר למשיחו:
18 איביו אלבישה בשת — ועליו יציץ נזרו:

Psalmus 145.

Antistropha I.

5 הדר כבוד הודך ידברו — ונפלאתיך אשיחה:
6 ועזוז נוראתיך יאמרו — וגדלותיך אספרנה:
7 זכר רב טובך יביעו — וצדקתך ירננו:
8 חנון ורחום יהוה — ארך אפים וגדל־חסד:

---

[1]) En responsio in 1 et 4. [2]) Adverte responsionem in 11d et 12d.
[3]) Adverte responsionem in 12cd et 14ab.

Psalmus 128.

	1	אשרי כל ירא יהוה	ההלך בדרכיו:
	2	יגיע כפיך כי תאכל	אשריך וטוב לך:
	3	אשתך כגפן פריה	בירכתי ביתך:
		בניך כשתלי זיתים	סביב לשלחנך:

Psalmus 132.

Stropha I.

I	2	[1] נשבע דוד ליהוה	נדר לאביר יעקב:
	3	אם אבוא באהל ביתי	אם אעלה על ערש יצועי:
	4	אם אתן שנת לעיני	ולעפעפי תנומה:
	5	עד אמצא מקום ליהוה	משכנות לאביר יעקב:

Stropha alternis canenda.

I	6	הנה שמענוה באפרתה	מצאנוה בשדי יער:
	7	נבואה למשכנותיו	נשתחוה להדם רגליו:

Stropha II.

I	8	קומה [2] יהוה למנוחך	אתה וארון עזך:
	9	[3] כהניך ילבשו צדק	וחסידיך [רנן] ירננו:
	10	[4] בעבור דוד עבדך	אל תשב פני משיחך:
